

f



Deel. Kl. 356 ds

VII. N. 881.





3

SECUNDA
SACR. INSTITUTIONUM
EXERCITATIO

DE
SOCIETATIBUS
HERILI, CONJUGALI
ET PATERNA

Q V A M
DIVINA ADSISTENTE GRATIA

SUB PRÆSIDIO
NOBILISSIMI, AMPLISSIMI. ATQVE
CONSULTISSIMI VIRI

Dn. GEORGII ENGELBRECHTI

J. U. D. ac Profess. Publ. Ordin. ut & Facul-
tatis Juridicæ hodiè spectabilis Decani Præ-
ceptoris æternum devenerandi.

Publicæ disquisitioni submittet

IN JULEO MAJORI

DIE AUGUSTI

AUGUSTUS RUDOLPHUS LUNING

Gvelpherbytanus.

••(O)••

HELMESTADII,

Typis HENRICI DAVIDIS MULLERI Acad. Typ.

M DC LXXIIX.

SECUNDA
SACR. INSTITUTIONUM
EXERCITATIO
DE

SOCIETATIBUS
HERILL. CONJUGALI
ET PATERNA

Q. V. & M.
DIVINA ADISTENTE GRATIA
SUB PRESIDIO

CONSPICISSIMI VIRI
MAGISTRUM AMPLISSIMI APTORUM
DR. GEORGI ENGELBRECHTI

J. U. D. ac Prof. Publ. Ordin. in & Facult.
causarum hodie speculabilis Decani Præs.
corporis hunc deventandi.

Publice dissertationi subactis
IN JURE MAJORI

DR. AUGUSTI

AUGUSTUS RUDOLPHUS LEVING

Gyolphyanus

1730

HELMSTADT

Typis Henrici Davidis MULLER & Acad. Typ.
M. DC. LXXXII





I. N. J. C.

THESIS I.



Um de natura finis sit, ut non sit frustra, nec Jurisprudentiæ finis, quæ fuit Justitia, talis erit; si non frustra, omnino introducenda in aliquod subjectum est, quod ipsum, ut pateat, percurrendæ sunt res omnes. Illæ autem sunt vel corporeæ vel incorporeæ. Res incorporeæ sunt Deus, quia vero ille est ipsa justitia, de eo ejusmodi quid quærere æque impium ac supervacuum esset, & Angeli: hi sunt iterum vel boni vel mali, in malos Justitia introduci nequit, illi enim propter suam malitiam, eam non recipiunt, neque angeli boni opus habent, ut habitu illo Justitiæ imbuantur, quia hic ejusmodi quærimus subjectum, quod vivit in societate civili. Angeli vero boni non degunt inter homines. E. etiam non possunt esse Justitiæ subjectum: sequuntur jam res corporeæ, quæ sunt vel animatæ vel inanimatæ, posteriores cum careant ratione, non sunt capaces habitus illius, de quo nobis hic sermo est. Animatæ sunt rursus varii generis. (1) enim sunt vegetantes. (2) sensitivæ, (3) rationales; duæ priores rursus non recipiunt justitiam, quia itidem rationis non sunt participes; restant itaque rationales, quæ nihil aliud sunt, quam ipsi homines ac personæ, de quibus Imperator in §. 22. loquitur *jung. l. 1. ff. de stat. hom.* illæ igitur sunt subjectum justitiæ,

T. 2. §. 12. Subjectum Jurisprudentiæ.

res. Corporeæ animatæ Incorporeæ

x veluti mēsu

vegetates ff. e. sensitivæ animatæ

Sunt personæ



Objectum
res
Media,
actiones.

justitiæ, quod quærimus. Ad objectum vero Juris refert Imperator res, ex hac forsan ratione, quia omne jus consistit in medio quod medium duo habet extrema *Arist. l. 2. Ethic. c. 6. excessum scil. & defectum*, quæ duo extrema constituunt res, inter quas justitia tanquam medium interjacet, accedit, quod justitia sit æqualitas, cum vero nulla æqualitas absque rebus consistere possit, necessario juris prudentia res pertractare debet. De actionibus vero ideo agit jurisprudentia, quia sunt media, quibus ad finem jurisprudentiæ, h. e. justitiam commodè pervenitur. In omni enim disciplina practica, primum de fine, deinde de subjecto, demum de mediis ad finem ducen- tibus, agendum est: quia vero in antecedenti dissertatio- ne demonstratum fuit, jurisprudentiam esse disciplinam practicam, Imperator de hisce tribus in Institutis jure me- ritoque agit; quando igitur inæqualitas adest, tum statim adest injuria, ex qua deinde oriuntur querelæ. Jam a- ctiones nihil aliud sunt quam ejusmodi querelæ, de inju- ria alicui illata apud competentem Magistratum institutæ, quæ definitio licet non quoad verba, tamen quoad sen- sum & effectum coincidit cum illa, quæ habetur in *proë- mio Inst. de action:* Ideò vero Imperator (1) agit de per- sonis, quia omnes res sunt propter personas & homines. *l. 2. ff. de stat. homin.* Quæ: v. disciplina res considerat propter personas, in illa debet præmitti tractatus perso- narum. Atque Jurisprud. est talis disciplina quæ considerat res propter personas, E. in illa debet præ- mitti tractatus personarum. Personæ v. illæ sunt con- siderandæ quatenus in societate degunt. Jam societas, de qua in Jure agitur, est præcipue triplex, Herilis, Pa- erna & Conjugalis, quo etiam quodammodo referimus socie.

societates inter pupillos & tutores, imo etiam minores si-
milesque personas ac curatores intercedentes: non enim
sunt ab similes societati paternæ. In singulis societati-
bus tria sunt attendenda (1) quomodo ineantur (2) quo-
modo conserventur (3) quomodo dissolvantur.

II.

Diximus personas in jure considerari quatenus in Tit. 3. init.
societate vivunt, statim itaque Imperator incipit agere hoc
t. de prima societate, quæ est inter Dominum & servum,
ubi (1) divisionem affert, secundum quam omnes omni-
no homines, & per consequens in societate herili vi-
ventes dividi possunt, nempe in liberos & servos, init.
bic l. 3. ff. de stat. hom. Ut v. accurate scire atque cogno- §. 1.
scere possimus, quinam homines sint liberi quinam ser-
vi, definitionem & libertatis & servitutis recte intelligere
ac nosse debemus: hinc utramque *in §. 1. & 2.* subjun-
xit, & quidem libertas describitur, quod sit *naturalis*
facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut descriptio
jure prohibetur §. 1. b. t. l. 4. init. ff. de stat. hom. (1) dicitur libertatis.
naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet: natura n.
vult, ut omnes homines sint liberi, non v. ut sub alteri-
us servitutis jugo vivant. Et ita libertas omnibus ho-
minibus quasi annascitur. Quod etiam videre est in ipsis
animalibus, atque feris bestiis, nam & illa naturæ in-
stinctu omni cura ac studio id faciunt, ut in libertate sua
naturali maneant ac vagentur. Hinc videntes homi-
nem, aufugiunt, metuentes, ne ab illo capian-
tur, suaque libertate naturali exuantur. Accidit qui-
dem, ut interdum natura videatur nolle hunc l. illum
procreare liberum, qui scilicet propter imperfectum ra-
tionis usum sibi ipsi consulere nequit, sed hoc ipsum non
est imputandum naturæ, utpote, quæ semper intendit li-

licet interdum hoc suo sine excidat. vid. Arist. lib. 1. Polit. c. 4. p. m. 20. *verb.* ἡ δὲ φύσις βέλεται τὸ τοιοῦτον, πολλὰ μὲν τοὶ δύναται, *Natura vult quidem hoc efficere, sæpe non tamen valet.* Secundo dicitur, nisi si quid vi aut jure prohibetur. Libertas sc. est potestas vivendi atque faciendi pro lubitu, quicquid velis, modo illam libertatem non restringat vel lex vel externum aliquod cogens; legibus enim est obediendum, vi vero resisti non potest. Quemadmodum enim leges civiles, juri naturæ aliquid addere vel detrudere possunt, l. 6. ff. de just. & jure, ita etiam tam Jus Naturæ, Gentium, quam Civile, libertatem naturalem, circumstantiis sic exigentibus, coarctare rectè potest. Interim tamen dum cives legibus obediunt, libertatem suam minimè amittunt, cum is, qui contra legem agit, non utatur sua libertate, sed potius abutatur, & licentiam committat. Externa verò vi exercitium libertatis tantum suspenditur.

III.

Exposita hoc modo libertatis natura, facilè erit in ipsam servitutis indolem ac essentiam inquirere. *Servitus vero est constitutio Juriis Gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur l. 4. §. 1. ff. de stat. hom.* Colligere licet, ex hac descriptione, quod servitus natales suos debeat Juri Gentium, deinde etiam Jure Civili recepta & approbata sit. Origo vero servitutis *legalis*, quam Imperator describit, hæc est. Olim quando Romani bella gerebant & ex hostibus captivos abducebant, liberum erat ipsis, captivos vel jure belli occidere, aut eorum vitam servare. Quod si posterius eligerent, captivi in servitutem redigebantur, eamque potestatem victor consequabatur, pro præmio vitæ servatæ, cum illi, qui ex clade belli superstites in ejus ma-

nus

§. 2. 3.

servitus
legalis.

nus pervenirent, ipsius humanitate servarentur, unde etiam servi dicti sunt à servando. *l. 4. §. 2. ff. de stat. hom. & in §. 3. hic idque Juri Gent. videtur conveniens, nec rationi adversatur.* Quando enim populi ob defectum judiciorum, inter se bellum inire coguntur, perindictionem belli quasi contrahunt, ut, dissolutâ jam societate, alteri in alterum lædendi & per consequens victos interficiendi, vel ob vitam donatam in servitutum redigendi facultas concedatur. Hug. Grotius *de Jure B. & P. l. 3. c. 4. th. 5. & seqq. jung. Dn. Felden. in notat. ad Grot. b. cap. §. 3.* Servi etiam vocantur mancipia, ideo, quod ab hostibus manu capiuntur. Hodie vero hostes capti non statim in servitutum rediguntur, sed disting. est inter bella, aut Christiani cum Barbaris ac Turcis, aut inter se bella gerunt: si prius, adhuc hodie locum habet servitus antiqua, quo sc. Turcæ avocentur ab intolerabili illa crudelitate, qua solent excipere Christianos captivos. Recess. Imp. *de anno 1542. §. Und wie woll nun 11.* Si posterius tum non locum habet servitus; quia Christiani ab omnis caritatis commendatore uti eleganter Grotius loquitur, *rectius instituti sunt, aut esse debent, quam ut à miseris hominibus interficiendis abduci nequeant, nisi minoris servitiæ concession.* Hug. Grot. *lib. 3. cap. 7. thes. 9. & cap. 21. thes. 25. & 28.* Verum captivi certo pretio sese redimere, aut inter sese permutari solent. Lytron vero, si captivi sunt milites gregarii, pertinet ad capientem, si vero sunt Duces & Præfecti militares pertinet ad eum, cujus nomine bellum geritur & ad ipsum Imperitorem bellicum. *Uti hæc constituta sunt in der Reuterbestallung zu Speyr de anno 1570. art. 94. & 95.* Verum hodie singularum gentium jura bellica consolenda sunt

sunt, præsertim, cum & peculiare conventiones inter partes belligerantes, teste experientia, hac de re sæpius ineantur, & vocantur ejusmodi pacta germanicè Kartelle; in gregario milite capto inter multas gentes Lytron das Lösegeld oder Ranson menstruum salariū esse consuevit. Et solent captivi tamdiu detineri donec lytron solvatur. Nisi forte sub juratoria cautione veletiam nuda promissione, si captivi forsan sint personæ eximiæ dignitatis auf Cavaltrische parole citius dimittantur vid. Hug. Grot. *de Jure B. & P. l. 3. c. 7. th. 9. Job. Philipp. in usu pr. Inst. Justin. l. 1. tit. 5. §. 9. Ecclog. 37. n. 1. usq. ad 5. Grotius d. lib. 3. c. 14. th. 9. Additio. Spedeli ad vocab. Ranson apud Besoldum & licet dimissus ante solutionem lytri moriatur, tamen ejus hæredes ad promissum pretium persolvendum obligati manent, quia est obligatio ex negotio contractui simili, non vero ex delicto descendens, adeoque etiam in hæredes passive transit H. Grot. *d. l. 3. cap. 22. th. 20.* & potest illud jus exigendi pretium redemptionis à capto, ab eo, qui captum tenet, in alium transferri: cum & incorporalia cedi, & alienari, natura patitur. Grotius *d. c. in thes. 25.* Durum vero videtur quod hic dicitur servitatem esse *contranaturam* hac enim ratione prore injustissima habenda esset; sed sciendum est, quod servitus absolute loquendo, & in se ac simpliciter non sit contranaturam id est contra rectam rationem, sed tantum ex accidenti, quando sc. is, qui in bello capitur, est prudentior ipso victore, tunc enim videtur ordo naturæ inverti, qui vult, ut prudentior regat imprudentiorem, adeoque rectè dicitur servitatem esse duplicem *Legalem & Naturalem*, Aristoteles *l. 1. pol. c. 3. & 4. de priori*, jam dicta sunt intelligenda, posterioris fundamentum in sequentibus consistit. Omni homini à Deo indita est anima rationalis*

Servitus
naturalis.

lis; quæ illi non frustra data, sed propter aliquem finem: finis ejus jam hic est, ut homo vivat secundum rectam rationem, atque honestatem; ut virtutes sectetur, vitia vero fugiat; eumque in finem intellectus & ratio corpori heriliter, appetitui vero, quemadmodum præceptor suo discipulo civili & regio imperio præest & imperat. Jam in quibusdam hominibus etiam perfectæ ætatis cessat rationis usus, suntque ita stupidi, ut neque semetipsos regere, neque rebus suis consulere queant. Hi itaque ab aliis prudentioribus sunt ducendi atque regendi, quibus pro hoc beneficio correctionis ac educationis, si aliud nihil habeant, corpore servire tenentur, atque hi dicuntur servi *natura* vid. Aristoteles *1. Polit. c. 3.*

IV.

Societas Herilis duobus modis initur, vel Jure Gentium vel Jure Civili. *l. 5. ff. de stat. hom.* Ex Jure Gentium duoriuntur modi, primus modus est *Nativitas*: nam qui ex ancilla nascitur, ille fit servus, qui enim nascitur extra matrimonium legitimum, qualis etiam est conjunctio servi & ancillæ, quæ Jure Romano non matrimonium, sed contubernium vocabatur. *l. 14 §. 3. in verbo quæ in contubernio patris fuerit, ff. de ritu nupt.* matris non vero patris conditionem sequitur. *l. 24. de stat. hom. l. 5. ff. eod.* Secundus modus est *Captivitas*, de qua in thesi antecedenti dictum fuit. Ex Jure vero civili rursus varii desumuntur modi. (1) *Venditio* sui ipsius pro servo *§. 4. b. l. 5. §. 1. ff. de stat. hom.* quod fiebat in pœnam contemptæ libertatis. Hæc autem concurrere debebant ad illam venditionem (1) is qui suam libertatem vendebat, xx. annos debebat natus esse, (2) debebat aliquid participare ex pretio (3) gnarus esse suæ conditionis, & emptor (4) debebat ignorare conditionem

§. 4.
Modi in-
eundæ so-
cietatis he-
rilis Juris
Gentium.

Juris Ci-
vilis.

B.

nem

nem sese vendentis, quod sc. esset liber homo, alias venditio erat nulla: liberi enim hominis æstimatio & commercium non est. *li 3. ff. si quadrup. pauper. fec. dicatur. l. 4. 5. 6. ff. de contrab. empt. vendit.* Secundus modus est *Atrocitas sententiæ*, quando enim quis capitale commiserat delictum, is à tempore condemnationis factæ fiebat servus pœnæ *§. 1. infra de cap. minutis.* Quæ servitus pœnæ inter alios hunc insignem effectum habebat, ut à tempore condemnationis factæ ejusmodi servi de bonis suis disponere non valerent, sed ea fisco cederent *l. 8. §. fin. l. 13. §. ult. ff. qui testam. facere possunt*; verum Jure Novellarum servitus pœnæ est sublata. *Novell. 22. c. 8.* Tertius modus oriebatur ex *ingrato animo* liberti erga suum patronum. Quartus est, quando aliqua mulier *libera sese commiscebat* cum servo, illa fiebat serva per *tit. 13. l. 3. Inst.* Inter servos vero nulla datur differentia, omnes enim servi sunt ejusdem & servilis conditionis, differunt tantum nomine & ministeriis quæ præstare tenentur. Homines vero liberi dividuntur in ingenuos & libertinos, de quibus in seqq.

V.

T. IV.
Ingenuus,

Ingenuus ille dicitur, qui statim, cum nascitur, liber est, nec post nativitatem demum libertatem consequitur. Talis vero est is, (1) qui ex duobus ingenuis, (2) ex duobus libertinis, (3) ex libertino & ingenua, (4) ex matre libera, patre in certo nascitur. Nam quantum ad libertatem etiam attinet, partus ventrem sive matrem sequitur. *l. 5. §. 2. ingenui. ff. de stat. hom. l. 7. C. de rei vindicat. l. 19. l. 24. ff. de stat. hom.* Sufficit autem matrem liberam fuisse, vel tempore conceptionis, vel gestationis in utero, vel tempore nativitatis, ita, ut licet mater libera conceperit, & ancilla facta pariat, tamen, qui nascitur, liber sit: quoties enim de commodo partus

Ingenui
sive libertini
sive natural.
Vendit.

Si non tenentur
nascitur liber.

tus agitur, toties ille, qui in utero est, pro jam nato habetur *l. 7. ff. de stat. hom.* nec matris calamitas debet nocere ei, qui est in utero, *init. hic, l. 5. §. 2. ff. de stat. hom.* hinc multa in favorem ejus constituta, qui adhuc in utero existit. Sic mulier prægnans, quæ propter grave delictum torturæ est subjicienda, hoc habet privilegium, ut non prius de illa possit quæstio haberi, quam si ediderit partum, & post editum partum executio tam torturæ quàm pœnarum, præcipuè si sit capitalis, & corporis afflictiva, differenda est adhuc per sex hebdomadas. *l. 18. ff. de stat. hom. l. 3. ff. de pœnis.* ne innocens partus cum nocenti matre extinguatur & pereat. Et alieno odio nemo, nequaquam autem infantes & pueri, in quibus nulla culpa deprehenditur, prægravandi sunt. *l. pen. in fin. ff. de fideicommiss. libert. l. 33. C. de inofficioso. testam. l. 26. ff. de pœn. l. 22. C. eod. cap. 22. de reg. Jur. in 6to. Christoph. Philip. Richter decis. 7. n. 1. & seqq.* Unde etiam pœna fustigationis post partum editum, licet sex hebdomadæ jam tum præterfluxerint, ita temperanda est, ne partui alimenta detrahantur. *Carpz. in prax. crimin. p. 3. q. 37. n. 23. Richter decis. 7. n. 4. & seqq.* satis de ingenuis.

VI.

Libertini dicuntur illi, qui cum potestati Dominorum essent subjecti, libertate donati, & ex justa servitute manumissi sunt. Est vero manumissio de manu datio; quamdiu enim servi in servitute erant, manus ac potestati suorum dominorũ erant subjecti; quando vero ex servitute dimittentur, dominus ipsos quasi è manu sua ac potestate emittebat. Modi manumittendi sunt varii, aut enim servi manumittuntur *volentibus* Dominis: aut *invitis*. Sic *volentibus*, tum ille consensus est duplex: vel expressus vel tacitus; Expressus potest declarari verbis vel ore prolatis, vel in

inde non e. nimis
tanta, nec si pro
gationis aut, in
ore dimittenda, lo
T. v. relegatio d.
intr. ab alio.



scripturam redactis; Expresse consentiebant Domini (1) per vindictam. Erat autem vindicta virgula, qua Dominus vel prætor nomine Domini præmissis verbis solemnibus servi caput aliquoties percutiebat, dicens: Ajo te esse liberum, & mox Dominus apprehensum manu dextera coram prætore vertebat, & sic circumactum dimittebat. Vestigium hujus rei videtur adhuc superesse in tironibus nonnullorum artificum, qui hodie non nisi certis ritibus adhibitis ex annis tirocinii dimittuntur (2) servi manumittebantur coram Magistratu, eique Dominus declarabat, se servum suum manumittere velle, quam declarationem Magistratus ad acta referre solebat (3) in Ecclesiis sub aspectu plebis. (4) extra Judicium inter amicos, quo casu quinque testes adhibebantur, aut eo nomine conficiebatur scriptura *l. unic. C. de lat. lib. toll.* (5) in testamento vel in alia ultima voluntate testator servo libertatem relinquere poterat, *tot. tit. C. de test. manumiss. & in tit. C. quibus ex caus. serv.* Aut porro Dominus servum tacite manumittebat, (1) per adoptionem *l. unic. §. 10. C. de lat. lib.* (2) si servo permittebat nuptias cum filia contrahere. Aut demum *in vitis Dominis* servi fiebant liberi, (1) si beneficium singulare reip. præstiterant, v. g. fortiter pro patria pugnantes, aut adulteratores monetæ detegentes *l. 2. C. pro quibus causis serv. pro præm.* adeò jam tum eò tempore hoc summe perniciosum reip. crimen Romanis exosum fuit. (2) Quando dominus ob infirmitatem corporis servum deserebat. *l. 2. ff. qui sine manumiss. ad libert. perven. l. unic. §. 3. C. de latin. lib. toll.* (3) propter nimiam sævitiam domini bonis conditionibus servos suos vendere cogebantur. *§. 2. infr. de his qui sui l. alien. jur. sunt.*

VII. Cir-

VII.

Circumstantiam loci & temporis quod attinet, propter favorem libertatis quolibet tempore & loco honesto, die etiam feriato, nefasto & extrajudiciali manumissio fieri poterat *l. 2. de serv.* tum propter favorem negotii, uti dictum; tum etiam quia inter consentientes apud magistratum sæpius fieri solebat, & sic erat actus voluntariæ jurisdictionis. Olim autem erant tria genera libertinorum, quidam Romani cives, quidam Latini, quidam dedititii, Justinianus vero reliquis duabus speciebus sublatis unum tantum genus libertinorum constituit, nempe Cives Romanos *l. unic. C. de Lat. lib. toll.* Imò postea jure Novellarum etiam differentiam inter ingenuos & libertos sustulit, nisi quod ingenui liberi nascerentur, liberti vero fierent manumissione ingenui, salvo tamen manente jure patronatus. Nov. 78.

§. 2.

§. 5.

IIX.

Quid manumissio sit, quot modis & ubi fiat in antecedentibus vidimus, sequuntur jam personæ, quæ manumittere possunt, vel propter certas rationes simpliciter aut secundum quid prohibentur. Priores sunt domini, liberam rerum suarum administrationem habentes. Posteriores sunt ii, qui alieno ære premuntur, & manumissione non fiunt solvendo. Licet enim multa in favorem libertatis concedantur. *l. 38. ff. de re judic.* dominus tamen in fraudem creditorum manumittens nihil agit, cum quod lege prohibente fit, ipso jure nullum est *l. 5. C. de legib.* Non vero prohibetur in testamento servum suum vel cum vel sine libertate hæredem instituere, hac enim ratione jus creditorum non imminuitur, sed potius melius redditur; Cum servi hæredes instituti etiam inviti ac no-

T. vi.
pinc.

§. 1. 2.

B 3

lentes

lentes persolvere tenebantur debita dominorum demortuorum, idque constitutum in favorem dominorum, quoniam olim, quando aliquis moriebatur, nec relinquebat tot bona, unde debita hereditaria persolvi poterant, omnia ejus bona publicè sub hasta vendebantur, ut inde creditoribus satisfaceret; quæ venditio cum ignominia quadam erat conjuncta. Ad hanc vero evitandam domini mortui servos suos heredes instituebant, quo facto bona non ipsorum dominorum, sed servorum nomine vendebantur, & sic hæc ignominia non redundabat in defunctos dominos, sed in servos hæredes institutos. Inde etiam doctores argumentum desumunt & concludere volunt, quod creditoribus non liceat arrestare defuncti cadaver in ipso feretro, & quamvis in quibusdam locis ejusmodi consuetudo irrationabilis obtineat, ea tamen propter jus civile, ubi illud sub gravi pœna invenitur prohibitum, non potest subsistere; Interest enim reip. cadavera defunctorum quam citissime terræ mandari, ne cadavera fœtorem excitent, pestemque aliosve morbos causentur *argum. l. 3. §. Divus Hadr. ff. de sepulchr. viol. l. 6. C. Eod. jung. Nov. 60. cap. 1. novell. 115. cap. 5.* qui contrafaciunt, eos hæc acerba manet pœna, ut (1) amittant tertiam partem omnium suorum bonorum (2) ipsum debitum & (3) præter illud tantundem restituant heredibus defuncti debitoris, imò (4) notentur infamia & hoc hodierna praxis secundum nonnullorum doctorum opinionem ad huc stricte observat, *Carpz. in jurispr. forens. part. 1. const. 30. defin. 22.* Idem est constitutum in eos creditores, qui moribundi vel etiam jam tum mortui debitoris domum ingrediuntur, ejusque bonis sine decreto vel auctoritate magistratus signacula imponunt, aut ab hæredibus

redibus jure civili intra novem, jure saxonico & consuetudine passim recepta, intra triginta dies ab obitu defuncti debitoris numerandos debita exigere haud erubescunt. *Auth. item si domum & seq. sed neque ante C. de sepulchro viol. Nov. 60. c. 1. art. 15. lib. 3. des Landrechts. Rittersbusius ad novell. parte 13. c. 6. n. 7. Matth. Coler. de proces. executiv. part. 2. c. 3. n. 337. & part. 1. decis. 70. Carpz. in jurispr. forens. part. 3. constit. 14. def. 14.*

IX.

Duo porro conjunctim requiruntur ut quis in fraudem creditorum dicatur manumisisse. (1) ut per illam manumissionem fiat non solvendo. (2) ut adsit dolus ac animus defraudandi: sæpe enim de facultatibus suis amplius quam in his est, sperant homines; inde in fine §. 3. h. dicitur, libertatem tum demum impediri, si & consilio manumittentis, & ipsa re, eo quod ejus bona non sunt sufficientura creditoribus, ipsi defraudentur.

X.

Minor vero secundum quid manumittere tantum prohibetur, à nam si sequentia concurrunt, ipsi hoc est permissum, (1) si viginti annos compleverit (2) manumittat per vindictam (3) coram Magistratum (4) ex justa causa & (5) illa causa fuerit approbata §. 4. hic. l. 11. ff. de manumis. vindict. quænam autem sint causæ justæ, apparet ex §. finali hic. l. 9. l. 11. 12. 13. 14. ff. de manum. vindict. Et eò etiam pertinet, quando dominus minor servum decem & septem annos natum, quem vult habere procuratorem, manumittit §. 5. in fin. hic l. 13. ff. de manum. vindict. ubi cum Cujacio verba, dummodo non minor annis decem & octo sit, explicamus de minore, qui septendecim annos complevit, & attigit annum decimum octavum, quia

quia nemo in sese potest recipere munus procuratoris, nisi sit homo liber. Hinc etiam hæc quæstio orta est, utrum aliquis minor, modo septendecim annos compleverit, possit agere procuratorem? Et disting. inter jus civile, Canonicum, & hodiernam praxin: Jure civili extrajudicialis procurator potest constitui *dicto §. 5. hic §. l. 13. ff. de manum vindicta.* Judicialis vero non item licet natus sit septendecim annos: nam judicium rederetur elusorium, nec sententia posset executioni mandati, sed adversus eam restitueretur, nisi primum minori non opponatur exceptio inhabilitatis, l. ii. C. de procur. vel secundo sit ejusmodi causa, ex qua non possit in integrum restituti, uti est, si mandatum à majore habeat, & dominus præstet cautionem judicatum solvi. l. 51. ff. de procur. l. 23. ff. de minor. vel (3) patrem absentem defendat. d. l. 12. C. hic. Non obstat. §. 7. h. §. l. 1. §. 3. ff. de postul. ex quibus Doctores nonnulli colligunt, quod minores septendecimannorum jure civili procuratores esse possunt, quia aliud est in jure civili postulare, aliud procuratorem esse, Jure vero canonico minores xxv. annis simpliciter ab officio procuratorum removentur *per cap. qui generaliter §. in fine de procurator. in sexto;* quod hodierna praxis sequitur *Habnius ad tit. ff. de procurat. n. 4. ad verbum, Aut jussu judicis?* quando autem minor semel aliquem manumisit, illam manumissionem revocare non potest, propter regulam illam vulgatam, quod semel placuit, amplius displicere non potest, *cap. 21. de reg. jur. in sexto,* idque etiam in favorem libertatis est constitutum: potest etiam jure novellarum quilibet minor, licet nondum septendecim annos impleverit, quod olim jure civili erat necessarium §. 7. b. in testamento servum manumittere. *Novell. 119. c. 2.* quia de omnibus suis bonis

§. 6.

§. 7.

bonis disponere potest, cui itaque conceditur, quod majus est, ei etiam conceditur id, quod est minus. *cap. cui licet. § 3. de reg. jur. in sexto.*

XI.

Lex Fusia Caninia prohibebat dominis pro lubitu in Tit. IX. testamento servos manumittere, adeoque manumittendi licentiam ad certum restringebat numerum, quia tamen ea lex videbatur injusta, atque favorem libertatis imminuere, ideo Imperator eandem abrogavit, nec vim legis habere voluit *tot. tit. C. de l. Fus. Caninia toll.*

XII.

Postquam haec actum fuit de modis societatis herilis, tum ineundae tum dissolvendae, nunc etiam considerandum est, quomodo haec societas converteretur, ubi loco principii notandum, *quod omnem societatem conservet Jus* h. e. si singulae personae in qualibet societate necessariae, officio suo recte fungantur, & illud agant, quod finis ac natura cujuslibet societatis postulat, & per consequens in societate herili, si dominus non plus juris ac potestatis sibi tribuat in servum, quam in legibus ipsi permittitur. Concedunt autem leges domino, non tantum aliquod jus in *corpore* servi, sed etiam in ejusdem *bona ac res*, in *corpore* (1) leges Gentium jus vitae ac necis, quia servi aequiparantur animantibus brutis. *l. 2. §. 2. ff. ad L. Aquil.* quae sicuti licite possunt interfici, ita etiam servi. Cum vero hoc jus videatur esse cum maxima injustitia conjunctum, & cum ipso verbo Divino pugnare, Antoninus Imperator §. v. hanc legem sustulit, jus sitque, ne domini ultra modum in servos suos saevirent, adeoque non amplius haberent potestatem ipsis vitam adimendi, sunt enim servi homines, quos sine justa causa occidere, tam jus divinum quam hu-
manum

C

manum sub poena homicidii vetat. *Deuteron. XV. vers. 17.*
Joh. c. XXXI. v. 13. §. 2. h. l. 2. §. 2. ff. ad L. Jul. de sicariis.
H. Grotius. l. 3. c. 14. tb. 3. §. 4. Accedit, quod servus sit in-
strumentum, quo dominus utitur ad vitæ alimenta sibi
comparanda, eo igitur abuti non debet, cederet enim hoc
ipsum in detrimentum, tum ipsius Domini, tum reip. cui
expedit, ne sua re quis male utatur §. 2. h. quando itaque
post constitutionem Antoninam Domini in servos suos
supra modum sæviebant, poterant illi confugere; vel ad
ædem sacram vel ad statuam principum, tanquam asyla.
l. unic. C. de his qui ad stat. princ. Et licet principum statuis jus
asylorum postea demptum fuerit, illud tamen, sublato etiam
Paganismo, in Christianorum templis salvum & integrum
permanfit. *Tit. C. de his qui ad Eccles. confug. Novell. 17.* adeo,
ut dominis servos, nisi cum armis confugerent, inde extra-
here non liceret. *l. 4. C. de his qui ad Eccles. confug.*

XIII.

Idem asylorum jus hominibus liberis ad Ecclesiam
confugientibus tribuebatur; illi vel erant debitores, vel
delinquentes: priores non poterant è templis extrahi,
sed Magistratus illos publicè citabat, quia Ecclesia nemi-
ni, quod suum est, aufert: si comparebant, in ipsorum ar-
bitrio erat, vel per se, vel per procuratorem coram com-
petente Judice litem excipere; si non: in immobilia credi-
toribus decernebatur possessio, aut mobilia distraheban-
tur secundum ordinem juris & usque ad modum debiti,
l. 6. §. 3. §. 4, C. qui ad Eccles. confug. quoad delinquentes
distinguebatur, aut grave aut parvum commiserant deli-
ctum, si posterius in ædibus sacris capi non poterant, sin
vero prius licitè capiebantur *l. 2. C. de his qui ad Eccles. con-
fug. Novell. 17. c. 7. Brunneinan. ad l. 2. C. qui ad Eccles. confug.*
quia

quia templa non debent esse receptacula facinorosorum. Jure Canonico nemini licet delinquentes ex edibus sacris absque consensu Episcopi extrahere, nisi sint latrones publici. *per cap. 6. extra de immunit. Eccles. cap. 1. de homicid. in 6to.* Verum ex consuetudine tam Germaniæ, quam aliorum locorum delinquentes in templis capi possunt, etiam absque venia Episcopi; Propterea quod Prælati & Judices Ecclesiastici se valde difficiles reddant, & interea dum ab iis licentia requiritur & expectatur, sæpius delinquentes auferunt. Accedit quod ob multitudinem templorum malefactores facile possent evadere manus justitiæ, & sic delicta manerent impunita, contra mentem eorum, qui immunitatem Ecclesiæ tribuerunt, non ut domus Dei fieret spelunca latronum, sed ut præstaretur refugium miseris, qui humana fragilitate aut casu in aliquod crimen incidissent. *Jul. Clarus l. 5. sentent. §. ult. quest. 30. v. scias autem. Prosper. Farin. in prax. crim lib. 1. tit. 4. q. 28. num. 75. Carpz. in prax. Crim. quest. 150. n. 41.* Quod etiam legi Divinæ conveniens est. *Exod. 21. vers. 14. Deut. 19. vers. 11. & seq. 3. Reg. 2. vers. 28. & 21. 4. Reg. 12. v. 15. & seq.* Verum ut ad jus Dominorum in corpora servorum competens revertatur, habebant (2) potestatem modice etiam verberibus eos castigandi, non vero in illos supra modum sæviendi, alias cogebantur sub bonis conditionibus servos vendere. *§. 2. b. l. 2. de bis qui sui l. alien. jur. st. jung. Hug. Grot. l. 3. c. 14. tb. 4.* (3) domini à servis operas cum modo tamen, & ut valetudinis servorum humanè heberetur ratio, exigere poterant. Nam servi quicquid erant; illud erant dominorum gratia. *Hug. Grot. d. c. 14. th. 5.*

XIV.

Jus vero dominis in bona servorum competens in eo
C 2 consistit,

consistit, ut, quicquid servi acquirunt, dominis suis acquirant, cum servus sit instrumentum rationis particeps, separatum, domini sui gratia *Aristot. l. 1. pol. c. 3. p. m. 13. & cap. 4. p. 21.* Quaecunque vero aliquis suo acquirit instrumento, illud sibi acquirit, & per consequens etiam dominus optimo jure sibi tribuit, quæ à servo acquiruntur. *§. 1. b. l. 1. §. 1. de his qui sui l. alien. jur. sunt.* & in ejus compensationem dominus ad alimenta servo præstanda obligatus est. *H. Grot. d. c. th. 6.* Atque ita vidimus quid sit servitus, quomodo ineatur, conservetur, dissolvatur.

XV.

Reliquum nunc est, ut videamus an materia servitutum hodie adhuc usum habeat, servi enim nostri mercenarii ab antiquis mancipiis longè differunt. Et affirmativam tueri non dubitamus, (1) quod fideles à Turcis vel aliis infidelibus capti, in durissimam servitutem redigantur, inde eorum bonis curator datur, ipsis in captivitate morientibus ea ipsa hora, qua capti sunt, mortui esse finguntur, vel ex captivitate revertentes jure postliminii hodie non minus ac olim patriam potestatem & alia jura civilia recuperent, ac si semper in civitate mansissent. Uno verbo, omnia quæ in servis antiquis obtinuerunt, ea ipsa in hujusmodi captivis hodie etiamnum obtinere, multi Doctorum volunt. *Herm. Stamm. de servitur. personal. l. 1. tit. 4. num. 3. 4. 5. 6. R. A. de anno 1518. in pr. R. A. de anno 1526. 1527. R. A. de anno 1542 §. und wiewoll 11. R. A. de anno 1557. §. und man sich 42. ibi. in seine Tyrannise Gewalt und Dienstbarkeit zu zwingen & alibi passim.* (2) quod jure talionis contra hujusmodi populos vera captivitate antiqua adhuc hodie utamur. *Herm. Stamm. d. c. 4. n. 1. Henric. Hahn. ad Wesenb. tit. de captiv. & de postlim. num. 1. ad verba. ac displicere domino in fine.*

(3) Quod

(3) Quod hodie multis in locis homines proprii den-
 tur antiquis servis non absimiles, lassi dicti, German. Leibe-
eigne Leute / Lassen / Lathen / quia agris excolendis à
victoribus relictisunt, zum Ackerbau gelassen/ vel si secun-
 dum idioma Saxonum inferiorum loqui velimus, gelathen
worden/ uti in Westphalia, Silesia, Polonia, Mecklenbur-
 gico Ductu, Marchia, Borussia, Geldria; qui quidem
 quoad statum & conditionem magna ex parte homines
 liberi videntur esse, sequentia tamen retinere ex antiqua
 servitute (1) enim Agros, quibus sunt destinati tenentur
arare, novare, iterare, iisque (2) ita adhærent, ut nec ipsi
nec ipsorum liberi domino invito ab iis unquam discedere
possint, (3) à dominis vendi, locari, pignori dari possunt
una cum prædio, cui destinati sunt, argum. l. 23. C. de agric.
videatur Herm. Stamm. de servit. person. (4) si aufugiunt,
possunt vindicari, argum. l. 13. C. de agr. & censib. imo si
à Magistratu quopiam in civitatem recipiuntur, cum omni
sobole & peculio domino restituendi sunt, actione præ-
judicali utili, eo nomine contra magistratum comparata.
Habnius d. tit. de stat. hom. n. 5. possunt vinculis detineri,
nec dominus incurrit poenam l. unic. de priv. car. arg. l. 1. C. de
emendat. servor. Herm. Stamm. l. 3. c. 25. (6) Domini post
servorum mortem juxta diversorum locorum statuta in
semissem, trientem vel quadrantem una cum liberis vel
aliis heredibus succedunt, interdum jumentum vel pecu-
dem (das beste Haupt dictum Hauptfalle) vel optimam ve-
stem (Gewandfall) præcipiunt. Dn. struv. in Syntagm. Jurispr.
exe. 40. th. 73. Besold. in thes. pract. voc. Lassen & Hauptrecht.
(7) non sunt capaces honorum & dignitatum, nec jus ci-
vitatis consequi possunt præsertim incivitat, imperialibus.

unde Helmstade
 constitutio, quod
 ex Westphalia
 servit. person. l. 1.
 l. 23. C. de agric.
 n. 5. multi in
 l. 13. C. de agr. &
 l. 1. C. de censib.

*Herm. Stamm. de serv. pers. l. 3. c. 20. n. 3. § 4. Philip. in usu
pr. l. 1. tit. 5. §. 1. Ecclog. 39. nec evadere notarii vid. Ord.
Notar. de anno 1512. Init. ibi. Etliche mit Leibeigenschaft
verpflichtet §. 2. In verbo Leibeigene Leute.*

XVII.

Demum quoad modos manumittendi cum anti-
quis servis hodierni lassii conveniunt ; Nam vel dimit-
tuntur volentibus vel invitis dominis : volentibus, vel
expresso eorum consensu, vel *tacito*, prior modus dici-
tur manumissio, quæ fit vel gratis vel data pecunia,
& vel per actum inter vivos, vel per testamentum, &
dantur hodie servis eo nomine literæ, quæ vocantur
dimissoriae sive instrumenta manumissoria, German. die
Lassbrieffe / Schleichbrieffe. *Webnerus* in vocabulo Schleich-
brieff. *Tacite* manumittuntur hodierni lassii (1) si Dominus
permittat Lassio matrimonium contrahere cum persona
libera (2) si lassii emant fundum, cui colendo erant de-
stinati. (3) præscriptione, si per 10^{os} vel 20^{os} annos domino
contradicente servitia sua non præstiterunt. (4) si ad ali-
quam dignitatem dominus servum evehi patiat. *Inuito*
domino propter nimiam eorum sævitiam Lassii libertatem
consequuntur. Cum isti homines durioris hodie condi-
tionis esse non debeant, quam olim servi. *Gail. de Arrest.*
c. 8. n. 18. Husan. de prop. homin. c. 8. n. 22. § seq. Job. Herm.
Stamm. de servit. person. l. 3. c. 35. num. 4. Differunt autem
hodierni Lassii sive servi ab antiquis (1) quod bona pro-
pria habere possint (2) commercia exercere (3) sibi ali-
quid acquirere. (4) quod ipsis aliquid in testamento re-
linqui possit. (5) Ipsi testamentum facere queant, *Dn. Struv.*
Syntagm. Jurispr. exerc. 40. thes. 71.

XIIX. (4)

XIIX.

(4) Leges de servis loquentes non raro ad res alias utiliter extenduntur, *Hanius ad Wesenb. tit. de stat. hom. num. 5.* uti ad hodiernos rusticos eorumque præstationes tum rerum tum operarum. *Rerum*, quod alibi quotannis certam pecuniæ summam dominis persolvant. Germanicè *Silberzins* oder *Zinsgeld*: alibi certos modios frumentorum, quos vocant *Bachtkorn* / *Bachtgetreide*: alibi anseres, gallinas, caseos, ceram & simile, hinc sunt die *Zinsbünner* / *Herbstbünner* / *Rauchbünner* / *Eyerzins* / *Pfingstkäse* / *Wachs-zins*. *Operæ* vero vel jumentis præstantur, ab iis scilicet, quibus tantum agri concessum est, ut jumentis uti debeant, & inde ea alere possint, & hæ operæ vocantur *Pflug-Fronen* / *Frondienste* / *Wagen und Baufuhr* / *Pferde Dienste*. Ipsi vero rustici has operas præstantes dicuntur *Anspanners* / *Pferdeners* / *Müfeners*. Vel manu & corpore, quod nimirum vel nihil vel parum agrorum habeant, ita ut jumenta inde ali nequeant, & dicuntur *Handfronen* / als ist *Heumachen* / *Bottschaft lauffen* / *Korn abmehnen* / *auffbinden*. Ipsi vero rustici vocantur die *Röhters* / *Rotsassen*. In superiori etiam Saxonia *Hüterfatters* / *Handfronens* / und *Soldeners*; Hisce omnibus leges de servis, eorumque ac libertorum operis agentes, utilissimè sæpius applicantur, attamen ex usu & cujuscunque loci consuetudine maxime hæc omnia dijudicanda, *Schultze ad hunc tit. Habn. ad Wesenbec. tit. de oper. libert. Spedelius, Webnerus, Besoldus in vocabulo Fronenjung. Dn. Præses in disputat. de operis rusticorum von Herrendiensten.*

XIX.

Jure etiam Saxonico & Lubecensi Romanorum servorum materia aliquem adhuc usum habet, quando creditor

ditor debitorem suum, additione judicialiter facta, wenn er den creditori Nichtlich übergeben wird / hodie mancipio accipit ihn zu eigen annimt / nam hic adjudicatus debitor, fit (1) proprius homo creditoris, non quidem servus, sed in servitute quasi constituitur, quæ specialis hic & anomala ad custodiam & operas imprimis pertinens, (2) privato carcere detineri potest mag ihm in seinen eigenen Schlössern halten oder gefängliche einztehen lassen / und halten als einen Schuldgefangenen / (3) talis debitor operas præstare tenerur muß seinen Herrn seine Arbeit thun / ut quando pecunia solvi nequit, operis creditori satisfiat. *lib. 3. Landrecht art. 31. Reichbild c. 27. Mæv. adjus Lubecens. l. 1. tit. 3. art. 1. n. 58. & seqq. satis de societate herili ejusque usu hodierno.*

XX.

Tit. 29

Eam nunc excipit societas paterna, quæ intercedit inter patrem & liberos, eosque non tantum primi, sed etiam ulterioris gradus. Videtur quidem eadem reverentia utrique parenti. Jure Nat. deberi, Jus vero civile denegat potestatem patriam matribus, & illam tantum tribuit patri *init. & §. 3. h. §. 3. Inst. de hered. qual. & differ. l. 7. ff. de his qui sui vel al. jur. sunt.* Sunt enim liberi à suis parentibus ita educandi, ut reddantur virtuosi, & studium honestatis à primis annis amplecti discant; ad quam educationem, cum requiratur magna prudentia, eaque videatur cessare in foeminis, ideo leges civiles potestatem tantum patri, non vero matri concesserunt, inde dicta potestas patria. Mas enim quam foemina natura magis aptus ad regendum. *Aristot. l. 1. Polit. c. 8. p. m. 44.* Monarchicè autem & regiè pater liberis imperat, h. e. primario & tantum non unicè in liberorum salutem. *Aristot. lib. 8. Eth. c. 10. & l. 1. Polit. c. 8.* Quod elegans societati paternæ fundamentum suppeditat.

XXI. Ini-

XXI.
Initur vero hæc societas; (1) per legitimas nuptias,
(2) per legitimationem, (3) per adoptionem, quibus
hodie addi potest unio prolium, Germ. die *Einfindschaft*.
Quod nuptias primum attinet, sunt illæ, uti Imperator §. 1.
loquitur, *viri & mulieris conjunctio, individuum vitæ con-*
suetudinem continens §. 1. b. jung. l. 1. ff. de rit. nupt. dicitur
primum *conjunctio viri & mulieris* non vero virorum nec
mulierum, ad indicandum, solos viros five masculini gene-
ris personas, non posse contrahere nuptias, cum hac ratio-
ne finis matrimonii primarius, procreatio sc. sobolis obti-
neri nequeat, nec etiam jungendas solas mulieres pro-
pter eandem rationem, multo minus homines bestiis jun-
gendos esse, qui enim ejusmodi illicitam Venerem contra
naturam exercent, Sodomix & bestialitatis crimen dicun-
tur committere, & igni cremio puniendi sunt. P. S. O.
art. 116. (2) ex iisdem verbis colligitur, quod tantum
unus vir & una uxor debeant inire matrimonium, quo
ipso excludit & vetat Imperator polygamiam, quæ est
duplex, *simultanea & successiva*, prior est, quando unus
maritus vel uxor uno eodemque tempore plures uxores,
vel maritos; Posterior, quando unus conjux plures mari-
tos, vel uxores, diverso tamen tempore & successive ha-
bet. Imperator tantum hic simultaneam prohibere vult,
non vero successivam polygamiam, jung. §. 6. & 7. de nupt.
polygamia porro simultanea iterum est duplex, aut enim
una conjux plures maritos habet & hæc polygamix spe-
cies, non tantum jure civili, sed etiam Naturæ, Divino ac
Gentium est prohibita, nemo enim patrem posset scire, &
quis revera sit parens nec ne; Aut vero unus maritus plu-
res habet uxores, & ista non est contra Jus Naturæ, quia
D Deus

Deus in antiquo testamento hoc ita permisit, ut etiam sanctissimi viri propterea divina gratia non exciderint; Uxoribus tamen in Veteri Testamento polygamia fuit interdicta. Quod postmodum in Novo Testamento iterum ad masculos extensum fuit, quippe prima conjugii institutio, id est unius maris & unius foeminae conjunctio in Novo Testamento revocata, omnisque simultanea polygamia abrogata est. *Matth. c. 9. v. 6. Marc. 10. v. 6. 1. Cor. 7. v. 2. & 3. Carpzov. l. 2. Jurispr. Consistor. def. 3. Matth. Wesenb. in parat. ff. de Rit. nupt. num. 4. ibiq. Dn. Henr. Hahn.* Porro dicitur quod matrimonium sit conjunctio, omnis autem conjunctio est triplex, vel animorum tantum, vel corporum tantum, vel animorum & corporum simul. Mas igitur & foemina in matrimonio, non tantum animo, sed etiam corpore conjungi debent, cum alias, neque amor conjugalis, neque sobolis procreatio primarius societatis conjugalis finis obtineri possit. Jure Civili quidem quoad perfectionem primam sufficit nudus conjugalis sive nuptialis consensus. *Nov. 22. c. 3. cum consensus non concubitus faciat matrimonium per l. 30 ff. de Reg. Jur. l. 66 ff. de donat. inter vir. & uxor. l. 15 ff. de condition. & demonstr.* quoad perfectionem tamen secundam & consummationem ac implementum etiam requiritur eodem Jure Civili corporis conjunctio; Nam consensus conjugalis includit animum & votum liberos procreandi *l. 220. §. 3. ff. de verb. signif.* quin & deductio sponsae in domum sponi, quae erat instar traditionis & missionis in possessionem. *argum. l. 6. C. de donat. ante nupt. l. 24. C. de rit. nuptiar. Dn. Henr. Hahn. in suis observ. ad eund. titul. n. 5.*

XXII.

Jure vero Canonico requiritur (1) tam de fidei co-
 habitatione, quam conjunctione corporum, Consensus,
arg. Canon. sufficiat. 2. Et cum beata Maria 3. causa. 27. q. 2.
 & (2) benedictio Sacerdotalis. *Canon. aliter 1. causa 30.*
quest. 5. consanguineorum 4. causa 3. quest. 4. cap. ult. ex-
tra. de clandestinis despons. Hodierna vero praxis pariter ad
 essentiam matrimonii solum consensum conjugalem re-
 quirit; Ordinationes tamen Ecclesiasticæ alias adhuc so-
 lennitates ad consummationem matrimonii exigunt, & (1)
 quidem trinam proclamationem publicam *per capit. 3. de*
Clandestina desponsatione. c. 27. extra. de sponsal. Et matrim.
 nisi ex constitutione alicujus loci unica forsitan denuncia-
 tio sufficiat, uti *Francos. ad Mænum. Job. Kitzel. in synops.*
Matrim. c. 4. Theorem. 6. l. G. Et h. vel ob causas rationabi-
 les ex speciali dispensatione trinundinæ promulgationes,
 uti vocari solent, in unam contrahantur, vel unica vice
 unaque Dominica fiant, aut plane omittantur *Carpzov.*
in Jurispr. Consist. l. 2. def. 139. Et 140. Ejusmodi enim pro-
 clamations Jure divino non sunt mandatæ, sed Juri po-
 sitivo originem debent, ideoque Magistratus Ecclesiasti-
 cus eis derogare valet.

XXIII.

Ordinationes Ecclesiasticæ (2) requirunt hodie
 copulationem & benedictionem sacerdotalem coram fa-
 cie in Ecclesia, nequaquam vero in privatis ædibus per-
 agendam, *can. alit. 1. causa 30. quest. 5. can. consang. 4. caus. 3.*
q. 4. cap. ult. extr. de clandest. despons. Carpzov. in Jurispr.
Consistor. l. 2. def. 143. nisi ex speciali dispensatione ob
 justam causam copulatio in ædibus privatis permittatur,
 ut autem à petitione dispensationis eo magis deterreantur,



solent petentes privatam Copulationem, certam pecuniæ summam quasi mulctæ loco persolvere, & vocantur vulgo *die dispensation Gebühr*. *Carpzov. dicto loco def. 144. n. 10.* Quia vero solennitates Ecclesiasticæ honestatis gratia adhiberi solent, cum ad essentiam conjugii mutuus consensus sufficiat. *l. 30. ff. de Reg. Jur.* inde partus ex concubitu sponsi & sponsæ procreatus, modo adsint sponsalia de præsentis, pro iusto & legitimo habetur, siue illa benedictione sacerdotali postea consummentur, siue mors superveniens hanc consummationem prohibuerit, *per cap. 14. extr. qui filii sunt legitimi D. Habn. ad Wesf. de ritu nupt. n. 5. ad verba: benedicente Ecclesiæ ministro. Dn. Struvius in Syntagm. exerc. 29 thes. 26* quia tamen hæ personæ contra ordinationem Ecclesiæ peccant, non quidem subeunt pœnam stupri *Hurenbrüche* / sustinere tamen pœnam ecclesiasticam, per quam delictum illud luitur, licet benedictio sacerdotalis accedat, omnino tenentur *D. Habn. ad Wesenb. tit. ad L. Jul. de adult. n. 21. ad verba. sed hæc pœna canonica est sub finem.*

XXIX.

Jure demum Saxonico, imo etiam Electorali præter enumeratas solennitates requiritur adhuc ad matrimonium ritè consummandum consensio thalami: *per art. 45. lib. 1. art. 45. l. 3. des Landrechts. pars 3. const. Elector. 19. Sibi Carpzov. def. 1. 2. 3. 4.* adeò, ut licet sponsus vel sponsa ipso nuptiarum die post copulationem sacerdotalem siue Ecclesiasticam, ante ingressum tamen thori conjugalis moriantur, superstitem haud lucrari ea, quæ conjugis defuncti bonis debentur, quia consensio thalami pro forma substantiali matrimonii requiritur, quæ ad unguem observari debet; nec per aliud æquipol-
lens

lens adimpleri potest, *Carpzov. dicto loc. def. 3.* Denique in ultimis descriptionis verbis matrimonium *individuum vitæ consuetudinem in se continere* dicitur, quia, si semel sit perfectum ac legibus convenienter initum, id nunquam, vel raro, ac difficulter rursus dissolvitur.

XXV.

Satis de modis ineundæ societatis conjugalis: progrediendum ad Jura matrimonium conservantia eaque sunt triplicia, quædam enim soli marito, quædam soli uxori competunt, quædam utriquæ sunt communia. Communia Jura sunt, (1) quod conjux uterque se invicem mutuo amore ac fideli cohabitatione debeat excipere, mutuoque se invicem adjuvare auxilio (2) quod utrique competat potestas, diversa tamen in liberos (3) in nonnullis locis omnia, uti de Frisia testatur *Sandæ lib. 2. tit. 5. def. 1.* vel maxima bonorum pars inter conjuges est communis, modo adsit matrimonium consummatum, quia hæc conjunctio communem laborem in acquirendo & conservando præ requirit. *Sand. dict. loc.* nam jure communi vera proprietas & conjunctio bonorum inter conjuges non existit sed quasi communio, h. e. fruitur regulariter maritus bonis uxoris & hæc illius, ut domina. *argum. l. 1. ff. de act. rer. amotarum.* Soli uxori competentia jura sunt. (1) olim debebat esse ejusdem religionis cum marito, *l. ult. C. de incolis.* hoc tamen hodie est mutatum, uti infra pluribus exponetur. (2) Uxor participat dignitatem mariti *l. 8. l. fin. ff. de senat.* (3) ejusq; forum sequitur, *arg. l. fin. §. 3. ff. ad municipal.* imò etiam vidua, quamdiu ad secundas nuptias non transit, *l. 22. §. 1. ff. ad municipal. nec inhonestè vivere incipit, Tiraq. de nobil. q. 18. n. 13. Menoch. l. 2 Arbitr. quæst. cas. 288. num. 26.* Demum Jus maritum tantum spectans consistit

consistit, (1) in modica potestate uxorem corrigendi ac castigandi. *arg. l. 24. §. 5. ff. solut. matr. Carpzov. in Jurispr. consist. l. 7. def. 221. n. 1.* (2) maritus acquirere debet necessaria vitæ alimenta uxori totique familiæ, & ferre onera matrimonii. *l. 75. 76. in fin. ff. de jur. dot. l. 7. ff. eod.* (3) in potestate patria per *l. 4. §. 4. ff. qui sui vel alien. jur. sunt §. 3. inst. de hered. qual. & differ.*

XXVI.

§. I.

Patria autem potestas, est jus patri solum competens liberis legitimis, qui ejus familiæ sunt, imperandi, tum quoad res, tum quoad personas eorundem, ad communem familiæ utilitatem. Hæc potestas olim satis erat dura, & quod primum Jus patris in liberorum personas attinget, poterant patres (1) liberos, quemadmodum Domini servos, impunè interficere, *l. 11. ff. de lib. & postb. l. ult. C. de patria potestate* (2) poterat olim pater urgente summa inopia liberos sanguinolentos, h. e. recens natos vendere ac oppignorare. *l. ult. C. de patrib. qui fil. suos distr.* Sed ab hoc antiqui Juris rigore paulatim recessum fuit, & severior liberorum coercitio Imperatorum rescriptis sublata est *l. fin. C. de emendat. propinquorum*, quia non in atrocitate sed pietate patria potestas consistere debet, *l. fin. ff. ad l. Pompei de parricidiis.* Inde (3) etiamnum hodie & Jure novo in levioribus solum delictis patri permissum est, filium suum modice castigare *l. si filius 3. C. de patr. potest l. unica C. de emend. propinq* atque incerto quodam conclavi, citra privati carceris pœnam clausum habere, si modo id non ad custodiam, sed ad morum ipsius emendationem faciat *Job. Schneidew. ad b. §. n. 24. Carpz. in Jurispr. forens. parte 4. const. 1. def. 17. n. 4.* imò etiam liberos immorigeros usque ad vitæ emendationem ad disciplina-

plinarias, uti vocantur, domus Zucht und Spinn-Häuser
in celebrioribus Germaniæ urbibus & non ita pridem in vi-
cina urbe Brunsviga laudabiliter exstructas, ablegare. *Be-
sold. in Theſaur. pract. verbo Zuchtthauß Dn. Hahn. ad Wesenb.
parat. ff. de obseq. par. & patr. præſtand. ſin vero graviora com-
mittant delicta, remittendi ſunt magiſtrantui ad eos pro
modo delicti puniendos. l. 3. §. 4. C. de patr. poteſt. l. unic.
C. de emend. propinq.* Demum (4) Jus patris in personas
liberorum in eo conſiſtit, ut illi in patria poteſtate existen-
tes, non poſſint inire nuptias absque conſenſu parentum.

XXVII.

Jus porro patribus in liberorum bona competentes,
olim ſapiebat quendam tyrannidem, nam quemadmodum
in tyrannide quicquid ſubditi habent & acquirunt, hoc
tyrannorum gratia acquiri videtur, ita etiam quic-
quid liberi olim acquirebant, parentibus videbantur acqui-
rere §. 1. *inf. per quas pers. cuique acquir.* Verum, quia
patres potius Monarchis in ſalutem ſubditorum imperan-
tibus comparandi ſint. *Ariſtot. l. 8. Eth. c. 10. & lib. 2.
Polit. c. 8.* idè etiam Romani poſtea hunc juris rigorem
correxerunt; & jure novo diſtinguendum eſt, aut enim li-
beri ſibi aliquid acquirunt in bello aut occasione belli,
quod dicitur *peculium Caſtreſe*, & ſpectat tam quoad u-
ſum quam proprietatem ad liberos acquirentes, inque eo
pro patribus familias habentur *l. 2. ff. ad Sctum maced.* (2)
aut aliquid acquirunt extra bellum ex officiis & muneri-
bus, quibus ſunt admoti, & illud dicitur *quasi Caſtreſe
peculium*, & hoc ruruſus liberi plenè ſibi acquirunt. §. *ult.
inf. de teſtam. mili. init. inſt. quibus permiſſ. eſt facere teſtam.* v. j. T
(3) Aut liberi neque in bello neq; occasione belli neque ex
muneribus publicis, ſed aliunde, v. gr. per donationem,
ſucceſſi-

successionem aut alium titulum justum, non autem ex bonis paternis sibi quicquam comparant, in illo patres consequuntur usumfructum, liberi verò proprietatem, & dicitur peculium *adventitium*, aut demum (4) patres liberis concedunt potestatem administrandi certam bonorum paternorum partem, & inde nihil lucri capiunt, vocaturque illud peculium *profectitium* e. g. quando pater mercator filium suum præposuit certæ negotiationi, quicquid ex illa capit, id omne cedit in commodum parentis nec filius quicquam exinde sibi acquirit. Verum de hac quadruplici peculiorum specie infra ad *tit. per quas personas cuique acquiritur* pluribus agetur. (2) vi hujus Juris patribus in liberorum bona competentis, illi liberis suis impuberibus in potestate patria immediate existentibus pupillariter substituere possunt, h. e. cum ipsi nondum sint ejus ætatis, ut testamentum condere queant, eorum nomine patribus hoc est permissum. *init. instit. de pupill. subst.* & sic etiam pro nostro instituto satis actum de jure in liberorum bonis vi patriæ potestatis patribus competente, cui tamen unica quæstio *ex §. ult. Tit. hujus* annectenda, §. 2. an nepos ex filio vel filia natus sit in potestate avi, & quoad nepotem ex filio natum hoc est affirmandum, ex filia vero natus, non in avi materni, sed paterni potestate existit: Per filiam enim familia non propagatur, sed illa potius familiæ suæ finis dicitur, *l. 195. ff. de verb. signif.* & filia non patri, sed marito filium familias parit. *l. 196. ff. de verb. signif.*

XXIIX.

Tit. v. Cum nuptias ut plurimum soleant præcedere sponsalia, antequam ad tituli decimi de nuptiis agentis explanationem progrediamur, breviter exponendum, quid sint sponsa-

sponsalia: Describuntur illa, quod sint mentio & repromissio mutua futurarum nuptiarum l. 1. ff. de spons. ex qua descriptione colligitur, quod requiratur consensus tam sponsi quam sponsæ mutuus, & quod illæ personæ, quæ volunt sponsalia celebrare, debeant esse instructæ intellectu ac ratione. l. 11. §. 12. ff. de spons. quem intellectum leges præsumunt in personis sponsalia contrahentibus, modo non sint minores septem annis. l. 54. ff. de sponsal. non vero opus est, ut semper ore tenus & inter præsentis sponsalia contrahantur, sed etiam inter absentes, vel per epistolam, vel per nuncium, vel per scripturam vel sine scriptura sponsalia recte ineuntur, modo appareat consensus. l. 4. 7. ff. de sponsal. Patrum tamen consensus est necessarius, & illi semper consentire videntur, modo non evidenter dissentiant. l. 7. §. 1. ff. de sponsal. Dividuntur vero sponsalia secundum Canonistas, quod alia sint de præsentis, alia de futuro. per cap. 22. extra de sponsal. & cap. 31. extra eod. quæ distinctio legibus Civilibus plane est incognita, & à solo jure Canonico introducta, sunt vero sponsalia de futuro mutua promissiones de præstando consensu conjugali, e. g. ducam te uxorem; sponsalia vero de præsentis, sunt nihil aliud, quam ipse consensus conjugalis de matrimonio ineundo ac consummando. Differunt autem sponsalia de futuro & præsentis, primo, quod à prioribus rursus recedere liceat, vel unius, vel utriusque patris dissensu, nisi accesserit concubitus. per cap. is qui fidem 30. extra de sponsal. posteriora vero dissolvi non possunt, & operantur obligationem ad matrimonium consummandum. per cap. 11. 12. extra de sponsal. nisi gravis accedat causa, ob quam interdum etiam sponsalia de præsentis dissolvuntur, qualis causa e. g. (1) sunt inimicitia capitales inter sponsum & sponsam exortæ, Carpzov. l. 2.

E

Jurispr.

De a. p. 22. ff. de sponsal.

Inde p. infans. contrahere spons. q. valet. us. puber. excedit. cont. ma.



1. Sic fornicatio, Jurispr. Consist. def. 176. (2) fornicatio. Carpzo v. d. lib. 2. d. 1. p. 184. 186. 187. 188. (3) furor, Carpzo v. d. l. 2. def. 182. ante nuptias con. (4) morbus contagiosus & desperatus, defn. 180. (5) Atrox delictum def. 177. 178. (6) Impotentia. Struv. in Syntagm. Jur. Civ. disput. 29. th. 23. (7) quod sponsalia de futuro tollantur ac dissolvantur per subsequencia sponsalia de presenti, e. g. si quis cum Maria celebravit sponsalia de futuro, & deinde cum Margareta de presenti, tenetur ducere Margaretam, non vero Mariam, quia posteriora fuerunt de presenti, & sunt verum matrimonium Jure Civili. l. 30. ff. de Reg. Jur. cap. 22. extra de sponsal.

XXIX.

Dividuntur secundo sponsalia in publica & clandestina. *Publica* sunt, quæ celebrantur in præsentia testium, & cum parentum consensu, in quorum sponsi sunt potestate, öffentliche Verlobnisse. *arg. can. aliter causa 30. q. 5. can. consanguinorum caus. 3. q. 4. cap. 2. de Clandest. despons. eaque jure subsistunt; Clandestina* vero sunt, quæ contrahuntur. (1) nullis testibus adhibitis, si personæ, sponsalia celebrantes, sint sui juris. (2) quæ sine consensu parentum fiunt, five uterque five alter contrahentium tantum sit in potestate patria, licet etiam testes fuerint adhibiti, eaque nullas vires habent *vid. cap. fin. de Cland. despons. idem cautum in Ordinatione Eccles. Fürstl. Braunsch. Kirchen-Ordnung cap. Ordnung in Ehesachen tit. Ein heimlicher & tit. seqq. von Eheverpflichtung / nisi per publica sponsalia fuerint confirmata, vel copula carnalis accesserit, quod tunc ex concubitu inducatur matrimonium præsumtum, præsumptione canonis probationem in contrarium excludente. c. 6. c. de illis. c. per tuas. extra de condit. appof. c. 30. extra de spons. idque semper verum est, modo in aliquo*

quo loco non adsint constitutiones provinciales contrarium volentes, uti ejusmodi constitutio existat in Ducatu Hannoverano ante paucos annos promulgata, quæ vult, ut sponsalia clandestina, & absque parentum consensu inita, nullo modo valeant, licet etiam copula carnalis accesserit. Inde jam fluit, si quis cum una virgine celebraverit sponsalia priora clandestina, cum altera postmodum publica, hæc clandestinis præferenda esse. Quod si autem quis cum duabus sponsalia publica contraxit, & vel unam vel utramque agnovit, eam tenetur ducere in uxorem, cum qua priora sponsalia publica celebrata sunt; *cap. ult. extr. de sponsal.*

XXX.

Sponsalibus ritè peractis, sequuntur ipsæ nuptiæ, ubi (1) modus contrahendi nuptias (2) personæ eas ineuntes considerandæ sunt. De priori supra actum fuit; Reliquum est, ut ipsas personas nunc perpendamus, inque iis sequentia requiruntur. (1) debebant olim esse *cives Romani. init. b.* inde cum servis deportatis, peregrinis connubium non erat. *l. 3. C. de incest. nupt.* Verum hodie inter peregrinos matrimonia efficaciter ineuntur, non tantum in illustribus, verum etiam inferioris conditionis personis, & matrimonium inter servos & ancillas, sive inter se, sive cum altera persona libera contractum, modo jus servitutis domino illibatum manet, pro justo & vero conjugio, jure Canonum & hodierno habendum est. *c. 1. & tot. tit. 10. de conjug. serv. Joh. Kitzel. in Synops. Matrim. cap. 3. theorem. 15. pag. 9. & seqq.* (2) debent esse justæ ætatis, quæ olim apud Romanos præsumabatur adesse in fœminis, quando 12. in masculis, quando 14. annum impleverant, h. e. pubertatem erant adepti. Ratio vero, quare Romani in tam tenera adhuc ætate matrimonia permitterent, hæc

erat; Respubl. Romana perpetuis ferè bellis erat implicita, ad quæ gerenda multi requirebantur homines, legumlatores itaque omnia, quæ poterant, instituta ferebant promovendæ & procreandæ sobolis intervientia *argum. l. 1. ff. solut. matrim. l. 7. §. si plures 3. ff. de hom. damnat.* quo etiam pertinet, quod puberibus, tam masculis quam fœminis statim permissum fuerit inire matrimonia, accedebat, quod putarent, civitatem hac ratione adulteriis & stupris exonerari. Aristoteles vero hac in parte planè dissentit à legibus civilibus, & in *cap. 6. l. 7. Polit.* requirit in fœminis, ut sint XIX. in masculis ut sint XXV. vel XXVI. annorum, & hujus rei has affert rationes, quod (1) magna requiratur prudentia tam ad liberos procreatos rectè educandos, quam etiam ad familiam rectè gubernandam, quæ cesset in masculis & fœminis qui non sunt majores quam XII. vel XIV. annis: (2) videtur etiam imminui reverentia parentibus debita, si liceat masculis & fœminis puberibus inire matrimonia, cum tam parentes quam liberi æqualis ferè sint ætatis. (3) liberi ex ejusmodi personis procreati, solent esse ægroti ac infirmæ valetudinis, interest vero reipublicæ, ut liberi tanquam seminarium futuræ reipublicæ & futuri cives, sint sani ac robusti. Quicquid tandem sit, adhuc hodie masculis cum primis optimè consulitur, si ante annum XIX. ad nuptias non facillè admittantur, cum ante illum ætatis terminum vix se suosque alere, suæq; familiæ præesse possunt, *Carpzov. in Jurispr. Eccles. l. 2. def. 12.* Quemadmodum autem impuberibus, ita etiam senibus LX. annos natis inire matrimonia, olim L. Jul. & Papia erat prohibitum, postea verò per *l. 27. C. de nuptiis.* hoc est abrogatum, & secundum illum textum, non tantum LX. annos nati, sed etiam seniores, qui jam pervenere ad LXX. an-

LXX. annum, licite contrahunt nuptias, quamvis enim forsan non obtineant hunc societatis conjugalis finem, sobolis scil. procreationem, mutuum tamen adiutorium consequi possunt.

XXXI.

(3) Requiritur, ut personæ ipsæ, quæ volunt matrimonio jungi, consentiant. *l. 2. ff. de rit. nupt.* Consensus enim non concubitus facit matrimonium. *l. 20. ff. de Reg. Jur. c. 4. in fin. c. 14. c. 23. extra de sponsal.* ille verò consensus debet declarari verbis, vel alio signo claro ac certo, nam in causa matrimonii consensus ambiguus non recipitur, sed certus & clarus exigitur. *Ernst. Cothm. vol. 2. Respons. 86. n. 7.* Inde licet Anna maritalem habeat affectum erga Johannem & contra, & sic cupiant matrimonialiter jungi, tamen inter eos per tacitam hanc voluntatem non contrahitur matrimonium, sed debet prius ille consensus expressis declarari signis. Præterea quoque debet consensus esse liber ac voluntarius non vero coactus, per *cap. 14. extra de sponsalibus.* Hinc, si quis vi adactus sit ad nuptias ineundas, est hoc matrimonium ipso Jure nullum *arg. l. 21. ff. de rit. nuptiar.* quo etiam referendus est metus justus, qui, uti excludit consensum, ita etiam vitiat nuptias contractas. *c. cum locum extr. de spons. l. 24. C. de nupt. licet per juramentum confirmatas. per cap. significavit 2. extr. de eo qui dux in matrim. cap. cum contingat extr. de Reg. Jur. Carpzov. in J. E. lib. 2. def. 27.* nam juramentum sequitur naturam negotii & actus cui accedit. Huc tamen non referendus metus reverentialis, quem liberi parentibus debent. *l. 22. ff. de rit. nupt.* (3) Dolus quoque ac error faciunt, ut nuptiæ non subsistant propter eandem rationem; quoad errorem tamen est distinguendum, aut enim existit circa

substantialia, aut circa accidentalia matrimonii, prior vitiat matrimonium, qualis error e. g. est, si quis putat se hanc virginem ducere in uxorem, cum interim alia substituatur, posterior vero nuptias non infringit, qualis e. g. est, qui circa divitias sponsæ versatur. Quod si autem aliquis erret circa virginitatem, putans, se ducere uxorem virginem, quam tamen postea deprehendit imprægnatam esse, error hic videtur substantialis, adeoque ejusmodi matrimonium dissolvi potest, licet in Jure Canonico aliud statuatur, *can. unic. caus. 29. quæst. 10. in fin. jung. Carpz. in Jurispr. Eccl. l. 2. def. 193.* Opus tamen pium ac Christianum facit maritus, uxorem, ab alio ante nuptias stupratam & gravidam, retinens. *Carpzo v. in Jurispr. Eccles. l. 4. def. 195.*

XXXII.

(4) Requiritur consensus parentum, qui liberos in potestate habent, *l. 11. C. de rit. nupt.*, exigit enim hoc ipsum obedientia ac reverentia, quam liberi suis parentibus tam Jure Civili, quam Naturæ exhibere debent, modo pater non sit furiosus, quo casu debet adhiberi consilium (1) curatoris patris furiosi (2) potiorum agnatorum (3) Magistratus confirmatio accedere. *init. Inst. h. in fin. l. 28. C. de Episcop. audient. l. 25. C. de nupt.* Verum ulterius, quoad consensum parentum, distinguendum est, inter Jus Civile, Naturale, Canonicum & hodiernam praxin. Jure Civili consensus parentum, liberos in potestate habentium, est de essentia matrimonii, & necessario requiritur, adeo, ut, eo non adhibito, matrimonium sit illegitimum, & liberi illegitimi *l. 11. ff. de stat. hom.* Inde fluit, quod filii, qui ex patri potestate jam sunt egressi, etiam absque consensu parentum rectè matrimonium contrahant, *l. 25. ff. de*

ff. de rit. nupt. filiaë vero, licet potestati patris non amplius sint subiectæ, nihilominus tamen semper consilium parentum adhibere debent in matrimoniis ineundis, cum propter judicii ac sexus fragilitatem facile possint decipi *l. 20. 18. princ. C. de nupt.* Non vero matris consensus Jure Civili est necessarius, cum liberi non sint in potestate matrum, sed tantum patrum. Jure autem *Naturæ* cum æqualis reverentia debeat, tam patri quam matri, & mater eadem, si non majori cum cura liberos procreet, eorumque educatione studeat, æque matris & patris consilium ad liberorum nuptias requiritur, ita tamen, ut matrimonium contractum absque consensu parentum illo Jure subsistat, cum & Jure *Naturæ* ejusmodi nuptiæ solum prohibeantur sub lege pœnæ, non vero sub lege annulationis, i. e. si liberi neglecta auctoritate parentum, matrimonia contrahant, nuptiæ quidem subsistunt, nec rursus dissolvuntur, liberi vero qui consilium parentum neglexerunt, puniendi sunt, propter læsam reverentiam paternam. *Dn. Habn. ad Wesenb. tit. de jur. nupt. n. 3. ad verba.* Horum enim consensus Jure *Canonico* distinguendum inter Decreta & Decretales; in Decretis est prohibitum matrimonium sine consensu parentum, & præcipue sponsalia, cum sint clandestina & sic nihil valeant. *Canon nostrates 3. caus. 30. quest. 5.* Jure vero *Decretalium* matrimonium non est prohibitum sine consensu parentum *per cap. 23. extra de sponsal.* Quod hodiernam praxin attinet, videndum primo, an in aliquo loco hac de re specialis adsit constitutio, quæ consensum parentum exigat, & illa est strictè sequenda, si vero talis non exstat, sequendum est Jus *Canonicum*, ita ut consensus parentum non sit de necessitate, sed tantum de honestate in nuptiis liberorum; tutorum verò ac curatorum

substg

rum consensus non requiritur ad nuptias minorum ineun-
das. l. 20. ff. de rit. nupt. Impuberes enim, quamdiu sub
tutela sunt, ne quidem matrimonium inire possunt. Pu-
beres vero, licet velint conjugium contrahere, tamen non
opus habent, ut adhibeant consensum curatorum, cum
illi rebus, non vero personæ dentur. §. 4. Inst. Qui test. tut.
dar. poss.

XXXIII.

(5) Requiritur ut personæ nuptias contrahere vo-
lentes, non sunt constitutæ in gradu prohibito consanguini-
tatis vel affinitatis, ergo hic sciendum, quinam gradus
sint prohibiti: quod ut constet arbor consanguinitatis est
consideranda; hæc vero arbor nihil aliud est, quam series
quædam indicans personas à communi stipite ortas, quo-
modo inter sese distent, & postea sese invicem attingant
consanguinitatis vinculo. Consanguinitas vero est necessi-
tudo personarum, ab eodem stipite descendentium, gradus
continens, & cognationes distinguens. Gradus est perso-
næ ad personam proxima conjunctio: Est vero illa arbor
duplex, alia Juris Civilis, alia Canonici, prioris funda-
mentum petendum est ex tit. 6. l. 3. inst. & ex integr. tit. ff.
de grad. affinitat. posterior fundatur in caus. 35. quest. 5.
Conveniunt hæc duæ arbores in hisce, (1) quod in utra-
que tres concurrant lineæ (1) lin. ascendens (2) descen-
dens (3) collateralis. (2) quod in utraque arbore certi ex-
sint gradus in singulis lineis, (3) quemadmodum Jure
Civilis numerantur gradus à linea ascendente & descen-
dente à personis generatis, ita etiam in arbore juris Ca-
nonici, & quidem sequenti modo, quod sunt generatio-
nes, tot sunt gradus, stipite dempto, differunt vero illæ
arbores, (1) quod in linea collateralis non detur primus
gradus,





gradus, *init. inst. de grad. cognat. in fin.* (2) Jure Civili
linea collateralis non distinguitur in æqualem & inæqua-
lem, uti fit Jure Canonico, habetque alia regula compu-
tationis locum in linea collateralis æquali, alia in linea in-
æquali, prioris lineæ regula hæc est, *quoto gradu distat*
uterque à Comuni stipite, toto gradu à se invicem distant,
e. g. fratris & sororis liberi distant à communi stipite h. e.
ab Avo, secundo gradu, quia inter avum & nepotes in-
tercedunt duæ generationes dempto stipite, (1) liberi
(2) nepotes, Ergo etiam inter se invicem secundo gra-
du distant. In linea vero collateralis inæquali hæc
computationis regula Jure Canonico locum habet, *quo-*
to gradu remotior distat à communi stipite, toto gradu à se
invicem personæ distant, e. g. filius & sororis filia distant
à se invicem secundo gradu, quia remotior, neptis sc. à
communi stipite distat secundo gradu.

XXXIV.

Ufus verò utriusque arboris in sequentibus consistit,
nimirum arbor Juris Civilis usum præcipue habet in tute-
lis & successione ab intestato, nam secundum arborem
Juris Civilis succeditur ab intestato *per novell. 118. cap. 1. 2. 3.*
& tutela etiam legitima defertur. *l. 10. ff. de grad. & affin.*
ita ut proximior cognatus tam in successione ab intestato,
quam in tutela legitima, secundum computationem Juris
Civilis, remotiorem Jure novo excludat. Arbor autem
Juris Canonici adhibetur in causis matrimonialibus, cum
in illa materia computatio prohibitorum graduum se-
cundum eam instituitur.

XXXV.

Quoad lineam igitur ascendentem & descendentem, *J. 1.*
tam Jure Civili, Naturæ, quam Divino ac Canonico, imo
F etiam



etiam hodierno locum habet hæc unica regula. *Quæcunq;*
personæ in lin. ascend. & descend. sunt constitutæ, inter illas
matrimonium est prohibitum usq; in infinitum Levit. c. 18.
v. 7. & 10. can. proveniens. can. de consanguinitate. can. in
copulatione 35 q. 1. & 2. Quia illæ personæ parentum libe-
rorumve locum inter se obtinent, ita ut secundum Docto-
res neque Adamus, si adhuc viveret, hodiè posset ullam
uxorem ducere, cum hodiè omnes fœminæ ex ejus poste-
ritate oriundæ sunt. Licet vero hujus rei causas certas
ac naturales adducere sit perdifficile, nihilominus tamen
eo non minimum confert. (1) quod per ejusmodi matri-
monium lædatur reverentia parentibus debita, nam uti
Grotius *lib. 2. c. 5. thes. 12. de Jur. bell. & pac.* loquitur. *Nec*
maritus, qui superior est lege matrimonii, eam reverentiam
potest præstare matri quam natura exigit, nec patri filia; quia
quanquam inferior est in matrimonio, ipsum tamen matri-
monium talem inducit societatem, quæ illius necessitudinis re-
verentiam excludat. (2) ipsa natura videtur ab ejusmodi
matrimonio abhorrere, cum in hominibus nulla prava
educatione corruptis, sit in ipsis affectibus insita fuga quæ-
dam commixtionis cum parentibus & ex se natis, quippe
cum etiam animalia quædam bruta hujusmodi commix-
tionem averfentur. *Novell. 12. cap. 1. H. Grotius dict. c. 5.*
thes. 12. in fin. ferme. Quodcunque autem intemperantiæ
genus facit, ut eligamus id, à quo homines natura ducti,
communiter abhorrent, illud ingens est & horrendum.
At si quis cum ea, quæ in linea ascend. vel descendente est,
rem habet, est ejusmodi intemperantiæ genus. Erg. coitus
cum iis qui sunt in linea ascendente & descendente ingens
crimen est. *Felden ad dict. loc. Grot. pag. m. 125.* (3) Cum
hoc matrimonium sit prohibitum ipso etiam Jure Divino,
Levit.

Levit. 18. v. 1. & 10. Ejusmodi vero, in linea ascendente & descendente, constitutæ personæ, & respectum parentum & liberorum habentes, sunt (1) filia & pater naturalis ac legitimus, (2) pater adoptivus, (3) meretrix ac filius naturalis s. spurius: nihil enim interest, utrum cognatio ex justis nuptiis descendat nec ne. *l. nihil interest § 4. l. adoptivus 14. §. 2. in verb. unde nec vulgo quæstam filiam ff. de R. N. licet etiam parentes & liberi sint servilis cognitionis d. l. 14. §. 2. ff. de R. N. §. 10. inst. h.* (4) susceptor & suscepta, Jure enim Civili suscepta, loco filiæ esse putatur, *l. 26. vers. ea videlicet C. de nupt.* quod & Jus Canonicum sequitur, cum Canonistæ spirituales cognationem ex hac susceptione oriri autumant. *tot. tit. extra de cognat. spirit. c. fin. de cogn. in 6to.* verum cum Juri Divino ejusmodi matrimonium non refragetur, apud Augustanæ Confessioni addictos & reformatos omnino est permissum. *Dn. Habn. ad Wesenb. de R. N. 4. Dn. Struv. exercit. 19. th. 40.* nisi in aliquo loco quædam contraria constitutio inveniat, uti in Ducatu Lunæburgensi in suscipiente & suscepto: *Ordin. Polit. Ducat. Lunæb. tit. 30.*

XXXVI.

Quoad Lineam collateralem distinguendum inter Jus Civile, Divinum, Canonicum, & hodiernum: Jure Civili hæc duæ regulæ sunt notandæ. (1) *Quicumq; sunt fratres & sorores, illi non possunt inire matrimonium l. 17. C. de nupt.* Tales jam sunt (1) fratres & sorores germani & Germanæ (2) fratres & sorores consanguinei, Consanguineæ (3) fratres & sorores uterini & uterinæ, (4) naturales. *l. 14. ff. de Rit. nupt.* (5) spurii & spuria (6) fratres & sorores legitimati (7) adoptivi & adoptivæ, quamdiu scilicet adoptio durat, illa enim soluta, matrimonia inter illos

is e. q. ex consuetudine

et Augustanæ

§. 2.

23. 22

*quales s. q. diversas
nates s. s. s.
qui diversos patres*

illos sunt licitia, Jure vero Naturæ matrimonium inter fratres & sorores non videtur esse prohibitum. vid. *Dn. Hahn. ad tit. de rit. nupt. in obser. v. n. 4 ad verba primo gradu.* licet multi in ista sint opinione: quodcunque enim matrimonium Deus olim permisit, ita, ut propterea personæ illud ineuntes non exciderint gratia divina, illud non est contra Jus Naturæ; Atqui matrimonium inter fratres & sorores est tale, Ergo. Accedit quod Deo initio mundi facillimum fuisset, plures creare homines, & sic evitare conjunctionem fratrum & sororum, si hoc cum Jure Naturæ & honestate pugnare fuisset arbitratus. Quamvis forsan hodie ejusmodi matrimonia inordinatum amorem & vitium intemperantiæ sapere videantur, nam *Felden ad d. c. 5. §. 13. Grotii de J. B. & P.* ita recte argumentatur qui sine necessitate coitum appetunt cum ea persona, cujus coitum naturaliter abhorrent, illi ex inordinato amore & vitio intemperantiæ hoc faciunt: aucto humano genere, frater & soror matrimonium inire volentes talem appetunt coitum, à quo naturaliter abhorrent, norunt enim, se in uno patre convenire & idem esse E. sed quoniam non æque sunt idem, ut parentes & liberi, minor etiam est turpitudinis.

XXXVII.

§. 3. & 5. Secunda regula hæc est. Quicumque in linea collateralis habent inter se respectum parentum ac liberorum, illi non possunt contrahere nuptias, quales sunt omnes personæ primi gradus respectu reliquarum personarum in linea collateralis constitutarum uti est (1) fratris mei & sororis filia, (2) fratris vel sororis neptis. (3) Amita (4) Matertera. (5) Matertera magna. (6) Amita magna. Quamvis vero non tantum Jure Civili, sed etiam Divino inter has personas

*si hoc est contra
omnes ex incestu
Christi nuptiæ est.*

sonas matrimonium sit prohibitum, tamen experientia teste, in familiis illustrioribus ejusmodi matrimonia per dispensationem ex causa urgente permittentur, cum non sint contra jus Naturæ, & præterea inter personas illustres sæpius non inveniuntur ejusdem conditionis sociæ.

XXXIIX.

Fratrum vero & sororum liberi jure civili nuptias contrahere possunt. Jure divino idem in linea collaterali constitutum, quod Jure Civili, & prima regula est fundata in *cap. 18. Levit. v. 9. secunda in eodem cap. v. 12. & seq.* Quod porro Jus Canonum attinet, tres ex eo regulæ in linea collaterali notandæ sunt, quarum prima & secunda eadem est, quæ Juris Civilis *canon. 15. 16. 17. 18. Caus. 2. q. 5. Can. 1. quest. 1. caus. 35.* tertia vero regula prohibet matrimonium usque ad quartum gradum inclusive tam in linea æquali quam inæquali *c. 8. extr. de consang. & affin.* cum olim, quod magis mirandum est, eodem Jure matrimonium in linea collaterali usque ad octavum gradum exclusive prohibitum erat, per *cap. Nulli causa 35. q. 2. & 3.* vera autem & genuina hujus rei ratio procul dubio hæc fuit (modo scapham scapham appellare liceat) ut Pontifices sibi possent per dispensationem multum auri ac argenti comparare, licet hoc amore publicæ honestatis tegere & palliare summopere sint annixi. *vid. Matth. Anton. de Dominis de rep. Ecclesiast. l. 5. c. 2.* prohibitions verò Juris Canonici adhuc hodiè sequuntur terræ Pontificiæ religioni addictæ.

XXXIX.

Apud Augustanæ Confessioni addictos hodiè primo videndum est, an speciales quædam Constitutiones in aliquo loco reperiantur, quæ si extent, strictè sunt observandæ,

vandæ, si non adsunt, Protestantes in linea ascendente & descendente, ut & linea collateralis, Jus Civile sequuntur: Cui tamen hanc regulam superaddunt. *Quicumque in linea collateralis equali in secundo: in linea collateralis vero in equali in tertio gradu sunt constituti: illi inter se invicem matrimonium inire nequeunt*, uti sunt fratrum & sororum liberi, & fratris filius cum fratris vel sororis nepte, *Ambros. Schurer. Pract. de grad. loc. 12. Matth. Wesenb. in parat. ff. de R. N. ibique Dn. Hahn. Carpzov. l. 2. Jurispr. Conf. def. 77.* Nam illi sæpius vivo proavo nascuntur & ad eam ætatem perveniunt, ut eum nosse, atque adeo cernere possint, in quo conveniunt, unde propter ejusmodi cognitionem ipsi inter se coitum, & conjunctionem naturaliter quasi respiciunt, & propterea eo usque matrimonium rectè prohibitum invenitur. Reliquæ vero personæ in linea collateralis constitutæ, quia vel nunquam vel rarò communi stipite adhuc vivo nascuntur, adeoque eum, in quo conveniunt, regulariter ignorant, nec unquam oculis aspexerunt, si contrahunt nuptias, per inordinatum affectum aliquid commisisse propriè dici nequeunt, & per consequens inter illos etiam jure meritoq; apud protestantes matrimonium permittitur, vid. *Velden dict. loc.*

XI.

Progrediendum nunc est, ad personas inter quas ratione affinitatis prohibitum est matrimonium, ubi primo notandum, quod affinitas sit, conjunctio ex justo matrimonio descendens, *l. 4. §. 8. ff. de grad. & affin.* estque duplex, perfecta & imperfecta. Affinitas perfecta dicitur, quæ ex justis ac legitimis nuptiis concubitu consummatis oritur. Imperfecta, quæ per sponsalia contrahitur, aut per injustas ac prohibitas nuptias. *l. 4. §. 8. l. 6. §. 1.*

l. 6. §. 1. l. 8. ff. de affin. l. 13. §. 3. ff. ad L. Jul. de adult.
Utraque vero affinitas est impedimento nuptiis, quia etiam ex sponsalibus, contubernio, concubinato, & quavis illicita copula oritur affinitas nuptias impediens. §. 9. *infra hic l. 12. §. 1. 2. 3. ff. de R. N. H. Grotius ad cap. 5. lib. 2. de Jure B. ac P. §. 13. infra h.* Jure Canonico triplex datur affinitatis genus *per cap. non debet. extr. de consang.* primum est, quod oritur ex uno matrimonio e. g. meus frater ducit uxorem Catharinam, hæc mihi est conjuncta in primo generis affinitatis, secundum genus est, quod oritur ex duplici matrimonio, e. g. Catharina fratris mei uxor est mihi conjuncta in primo genere affinitatis, si jam illa nubat Titio, fratre meo mortuo, Titius erit mihi conjunctus in secundo genere affinitatis, tertium genus est quod ex triplici oritur matrimonio e. g. si Catharina moriatur, Titius ducat Margaretam, illa Margareta est mihi conjuncta in tertio genere affinitatis, ulterius vero affinitas non extenditur. Patet hinc, quinam revera & propriè sint affines; Cognati sc. mariti sunt affines uxoris; & contra, cognati uxoris sunt affines mariti, non vero cognati mariti atque uxoris inter sese invicem sunt affines. *l. 4. §. 3. ff. de grad. affin.* Hinc ego & frater meus possumus uxores ducere duas sorores. Quoto vero gradu cognati mariti ratione consanguinitatis sunt conjuncti ipsi marito, eodem etiam gradu sunt conjuncti ratione affinitatis ipsi uxori; & quoto gradu cognati uxoris ratione consanguinitatis sunt conjuncti ipsi uxori, in eodem etiam gradu sunt constituti ratione affinitatis cum marito, quia uxor & maritus sunt una quasi eademque caro.

XLI. Pro-

Prohibetur verò matrimonium Jure Canonico in primo tantum affinitatis genere usque ad quartum gradum *cap. non debet 8. extr. de consang. & affin.* Inter affines vero secundi & tertii generis, modo non sint personæ, quæ per interpretationem juris parentum & liberorum loco habentur. *Matth. Wesenb. in parat. n. 4. ibiq; Dn. Hahn. pag. m. 209. Richterius decis. 10. num. 14. tit. 30. Ord. Polit. Lunæburg. matrimonium non est prohibitum, quia secundum & tertium genus affinitatis, nec jure divino nec Canonico hodiè impedimento nuptiis esse potest. Dn. Hahn. ad Wesenb. tit. de R. N. num. 4. ad verb. primum enim duntaxat genus. Richterius dec. 10. num. 12. Ord. Eccles. Lunæburg. p. 563.* In genere verò pro regula observandum est, quibus gradibus nuptiæ prohibitæ sunt, ratione cognationis, iisdem quoque prohibitæ intelliguntur tum §. 6. & 7. in lin. ascendente & descendente, tum etiam in linea collateralis, eaque tam æquali, quam inæquali, ratione affinitatis, *cap. 1. cap. penult. extr. de consang. & affin.* Nemo igitur privignam aut nurum, quia utræque filia loco sunt §. 6. b. neq; Socrum aut Novercam, quia matris loco existunt §. 7. b. in uxorem ducere potest.

XLII.

Hactenus dicta semper ita obtinent, nisi personæ, matrimonium inire prohibitæ, dispensationem impetraverint. Ubi iterum loco principii notandum, quod inter illas personas, quas conjungi Jus divinum in *cap. 18. Levit.* vetuit, non admittatur dispensatio; nisi quod interdum in familiis illustribus ab hac regula ex justa causa recedatur, quod prohibitio juris divini in dicto capite existans non sit omnibus in casibus moralis, sed in nonnullis tantum
Juris

Juris positivi. Magistratus verò Ecclesiasticus in concedenda dispensatione, semper prudentiam adhibere, nec facilis esse debet, nisi graves adsint causæ, eamque dispensandi potestatem habent, qui Juribus Episcopalibus gaudent.

XLIII.

Ex hisce dictis fluit, quod liberi diversorum matrimoniorum, licet habeant fratrem sororemve ex matrimonio postea contracto natos, nuptias licitè contrahant, quia hic neque vinculum affinitatis, neque consanguinitatis adest. *l. 34. ff. de R. N.* quod si quis patris defuncti sponsam in uxorem ducere velit, videndum est, an adfuerint sponsalia de præsentibus, & filio hoc casu id non est permissum, quia revera adfuit matrimonium, *argum. l. 30. ff. de R. J.* si vero sponsalia tantum de futuro adfuerint, stricto quidem Jure matrimonium permittitur, melius tamen ac honestius faciunt, qui ab ejusmodi nuptiis absterent, *§. 9. b. c. 4. & 8. extr. de spons.*

XLIV.

Denique serviles cognationes & affinitates impedimento nuptiis sunt, cum eadem prohibitionum regulæ, quæ inter liberos homines, etiam inter servos attendi debent, *l. 14. §. 2. 3. ff. de R. N.* Imo aliæ adhuc personæ propter diversas rationes Jure Civili nuptias contrahere prohibentur, ita Tutor ac Curator eorumque liberi non possunt Jure Civili in uxorem ducere propter metum intervertendarum rationum pupillam five adultam *l. 36. ff. de R. N. l. 59. 60. 66. ff. eodem*, nisi (1) tutori ejusve filio pupilla à patre ejus desponsata vel in testamento destinata fuit. *l. 36. l. 66. ff. de R. N.* vel (2) à tutore rationes redditæ sint *l. 26. §. fin. b.* Idem obtinet in Ducatu Wolferbyitano propter ordinationem Ecclesiasticam *D. Julii*

p. 275. in verbis : Keinem soll auch zugelassen werden/ das Kind/ so in seiner Verpflegung oder Verwoigung ist / thme selbst oder seinen des Pflegers oder Vormundes Sohn oder Tochter anders / den die Rechten zulassen / bey unser Ungnade und Straffe zu Vereheligen / licet aliàs hodiè ejusmodi conjunctiones in usu esse, ex Jure Canonico, ubi hæc prohibitio non attenditur, Doctores vulgo censeant. Diversitas vero religionis, quoad Augustanæ confessioni additos, Pontificios & reformatos nuptias non impedit, præsertim cum hæc religiones in sacro Imperio Romano expressè receptæ sint, & tolerantur *Instr. Pac. Osnabr. art. 7. §. 1. & 2. in fin.*

XLV.

§. 12.

Haftenus de modis ineundæ societatis conjugalis. Nunc videndum, quomodo nuptiæ iterum dissolvantur, ubi notandum. Quod aliæ Nuptiæ sunt justæ, aliæ injustæ: priores interdum ex justa causa dissolvuntur, posteriores ejusmodi dissolutione non opus habent, sed sunt ipso Jure nullæ. Dicuntur vero nuptiæ injustæ, quæ contra leges & inter personas vetitas fuerunt initæ, ex quibus, sicuti non merentur nomen matrimonii sive nuptiarum; nullus etiam justarum nuptiarum effectus resultat; nam (1) illis nulla dos, nec donatio propter nuptias efficaciter accedere potest, nec (2) liberi ex ejusmodi nuptiis procreati in patria potestate existunt, neque etiam nomen liberorum justorum nanciscuntur, sed quoad patriam potestatem æquiparantur spuriiis, nec (3) dotis vel donationis ex actioni locus est. Differunt aliàs liberi in jure multis modis, alii enim dicuntur justi, & sunt vel *naturales* & *legitimi simul*, qui ex matrimonio justo procreati sunt, vel *legitimi tantum*, qui adoptantur & arrogantur, de quibus in *tit. seq. II. agitur*; alii vero *injusti*, uti *naturales tantum*.

tum ex concubina scilicet nati: *Spurii* qui ex meretrice sunt suscepti, *ex coitu damnato* procreati, qui ex virgine *vestali*, quæ vitam suam perpetuæ castitati addixit, procreantur, *adulterint* ex adultero, *incestuosi* ex incestu nati. Ubi porro notandum, quod *incestus* sit duplex, *Juris Gentium & Juris Civilis. l. ult. ff. de R. N.* *Incestus Jur. G.* est, quando personæ in linea ascendente & descendente constitutæ, *Juris vero Civilis*, si personæ ex transverso conjunctæ, nuptias vetitas contrahunt. Et porro vel est *consanguinitatis* vel *affinitatis*; Prior committitur inter personas consanguineas, posterior inter affines; Pœna autem *incestus* varia, pro diversitate propinquitatis & gradus, & quidem in linea ascendente & descendente inter consanguineos est pœna gladii. *vid. Constit. Carol. artic. 117.* in linea verò *collaterali incestus simplex* inter fratres & sorores, vel etiam inter personas respectum parentum & liberorum habentes, absque adulterio, fustigatione cum relegatione, si cum adulterio conjunctus sit, gladio punitur: Inter reliquas vero personas lineæ collateralis, si prohibita nuptiæ ineuntur, vel relegatio, eaque perpetua, vel temporalis, vel etiam multa locum invenit, pro diversitate proximitatis & gradus. *Incestus* demum *affinitatis* in linea ascend. & descend. ut & in primo gradu lineæ collateralis, fustigatione & relegatione punitur; inter reliquos vero affines lineæ collateralis pœna relegationis, vel etiam minor locum habet. *Carpzov. in prax. Crim. quest. 72. 73. 74.* Et hæ pœnæ propter ultima verba §. hujus 12. subjungendæ fuerunt.

XLVI.

Ex definitione matrimonii antea tradita, constat, nuptias justè ac ritè initas, non facile posse dissolvi, cum contineant individuum vitæ consuetudinem, interdum ta-

G 2

men

liberi s. l. Justi *Spurii* *Incestuosi* *Juris Gent.* *Juris Civ.* *ex coitu damnato* *adulterini* *consanguinitatis* *affinitatis*

Spurii et legit. simul
legitimi tantum
Spurii et legit. simul
Spurii
ex coitu damnato
adulterini
Incestuosi
Juris Gent.
Juris Civ.
Spurii
consanguinitatis
affinitatis

men separatio five divortium locum habet (quando enim sponsalia dissolvuntur repudium, quando ipsæ nuptiæ, divortium in jure appellatur) si sc. juste ac urgentes adsint causæ, & separantur conjuges duobus modis, vel (1) tantum quoad thorum & mensam, vel (2) quoad ipsum vinculum, prius fit (1) quando conjuges sibi invicem struunt infidias, (2) quando inter ipsos inimicitia capitales exortæ sunt, (3) si nimis duriter unus conjugum alteram tractat. *Carpzov. in I. C. part. 2. def. 210. & seqq.* ante omnia tamen diligenter animorum reconciliatio à Magistratu tentanda est; Non vero possunt hæ personæ, quæ quoad thorum & mensam separantur, novum inire matrimonium, quamdiu uterque in vivis est, nisi forsan conjugi innocenti per speciale Magistratus decretum hæc potestas concedatur. *Carpzov. d. l. def. 189.* Separatio quoad ipsum vinculum fit (1) ob adulterium, (2) ob malitiosam desertionem, *per epist. 1. ad Corinth. c. 7. v. 18. Matth. c. 9. v. 9. & 4.* & effectus hujus divortii est, ut conjux innocens semper possit transire ad secunda vota.

XLVII.

§. 13. Hactenus latè actum fuit, de societate conjugali & primo modo constituendæ patriæ potestatis, nimirum nuptiis. Secundus modus est *legitimatio*, quæ nihil aliud est, quam actus legitimus, per quem liberi naturales fiunt legitimi ac justii. Et triplex existit, vel enim fit (1) *per oblationem curiæ*, vel (2) *per subsequens matrimonium*, vel (3) *per rescriptum Principis*. Legitimationis *per oblationem curiæ*, fundamentum hoc est. Curia in rep. Romana nihil aliud erat, quam senatus municipiorum ac coloniarum extra Italiam translatarum, quæ curia, s. qui Magistratus erat conjunctus cum magno labore, maximisque molestiis, ita, ut quilibet ab isto officio abhorreret:
liberi

liberi itaque illegitimi, qui legitimi fieri volebant, hoc munus subire, pro proemio legitimisationis donatæ, tenebantur. Hodiè verò hæc species legitimisationis planè est abrogata, nec ullum amplius usum habet. Ad legitimisationem verò *per subsequens matrimonium requiritur* jure Civili (1) ut liberi adsint naturales, h. e. ex muliere nati, ad quam patet consuetudinem habuit, §. *fin. b.* (2) ut inter istam mulierem ac patrem matrimonium non sit prohibitum §. *fin. h. §. 2. Inst. de hæred. quæ ab intest.* (3) ut de matrimonio subsécuto, non quidem dotalia, licet *hic §.* id videatur exigere, sed solum instrumenta nuptialia, quibus matrimonium probari possit conficiantur §. 2. *Inst. de hæred. quæ ab intest. l. 10. C. de natur. liber. jung. Novell. 12. c. ult. Novell. 18. c. ult. Novell. 83. c. 8. §. 11.* Jure vero Canonico & hodierna praxi, tantum requiruntur nuptiæ, non verò instrumenta dotalia *per cap. 7. extra qui filii sunt legit.* modo sint benedictione sacerdotali consummatæ. Consequuntur autem liberi hoc modo legitimati omnia Jura justorum liberorum, cum matrimonium subsequens purget omnia vitia antecedentia, & tempus matrimonii ad tempus nativitatis retro trahitur, ita, ut ab initio & retro semper legitimi esse videantur. *vid. Gail. l. 2. observ. 140. 141. num. 2. Myns. cent. 3. observ. 26. n. 9. & petentibus literæ natalitiæ, Daß sie Echt/ und Recht und aus einen Ehe- bette gebodren/* minimè sint denegandæ, *arg. Novell. 89. cap. 1.* hinc succedunt primo suis parentibus (2) admittuntur ad honores ac dignitates, neque (3) possunt arceri à collegiis opificum, succedunt etiam (4) non quidem Jure feudali, 2. *feud. 26. §. naturales* quoniam fictionem Juris Civilis respuit, *arg. 2. feud. 1.* sed ex hodierna praxi tam in bonis feudalibus quàm allodialibus, *Gail. us l. 1. obs. 141. num. 2.* nisi in aliquo loco aliud quid sit constitutum,

uti in Ducato Brunf. & Lunæb. Wolferbytano ex Consti-
tutione D. Henrici Julii anno 1593. d. 3. Januar. wegen Ehe-
bruch und Hurerey: Land-Tages Abschied zu Sandersheim
d. anno 1601. §. Zum 31. ib. sonderlich zu Adelichen Lehn
keines weges zu verstaten noch kommen zu lassen. Le-
gitimatio demum per rescriptum Principis est, quan-
do Imperator supplici aliquo libello rogatus, altero,
vel utroque parente mortuo, jubet illos esse legitimos,
fundatur hæc legitimatio in Novel. 89. c. 9. Novel. 74. c. 2.
Legitimat vero Imperator duobus modis, vel immedia-
tè Ducum ac Comitum liberos, vel mediatè liberos vilio-
rum personarum per Comites Palatinos, si ipsis hanc po-
testatem legitimandi concessit. Carpzov. in Jurispr. for.
part. 2. Const. 6. def. 16. Est verò hæc species legitimatio-
nis in subsidium introducta, ita, ut si non possit locum
habere legitimatio per subsequens matrimonium, tum de-
mum legitimatio per rescriptum principis valeat. Effe-
ctus hujus legitimationis est, quod liberi succedant suis
parentibus, si scilicet ante legitimationem non adsint libe-
ri justis, vel, licet tempore legitimationis adsint, parens ta-
men hoc expresse velit & ab Imperatore impetraverit, ut
unà cum liberis justis succedere debeant. (2) admittuntur
etiam illi liberi ad collegia opificum, honores & dignita-
tes, ad successionem vero feudalem, nec Jure feudali nec
universa Germaniæ consuetudine admittuntur 2. feud. 26.
§. naturales. Gail. l. 2. obs. 142. per tot.

XLVIII.

Tit. XI.
4nit.

Tres præcipuè esse modos ineundæ societatis pater-
næ, in præcedentibus diximus, quorum unus est *naturalis*
tantum, secundus partim naturalis, partim civilis, adeo-
que *mixtus*, tertius *civilis tantum*, Naturalis tantum, qui
nuptiis originem suam debet; mixtus, partim ex naturali
generatio;

generatione, partim ex legibus civilibus oritur, & est *legitimitas*, & de hisce duobus haecenus actum fuit. Sequitur jam tertius & civilis modus constituendae societatis paternae, qui dicitur in genere *adoptio*; eaque nihil aliud est, quam *solennis & legitima alicujus personae in locum liberorum assumptio*. Cujus fundamentum atque origo haec est; accidit saepius, ut quidam matrimonia detrectent, vel licet nuptias contrahant, tamen ob vitium aliquod corporis curabile haecenus liberos non procrearent, vel etiam ob senectutem ad generandam sobolem non amplius apti sint. Quia vero liberos ex voto eligere atque optare licet, liberos vero ex nuptiis natos five bonae five malae frugis retinere debemus, inde liberi adoptati Germanice dicuntur *die angenommene / angewünschte und erkohrne Kinder* / aut, licet liberos habeant, sint degeneres debiles & mala valetudine affecti, aut moriantur. Hisce itaque personis Romani, ne familiarum dignitas penuria naturalis sobolis pereat, liberos adoptare permittunt. Dicitur autem in nostra descriptione adoptio actus legitimus, quod leges civiles eidem certas addiderint solennitates, quae in illa peragenda sunt necessariae, quibus omissis, ipsa adoptio est nulla. Quo pertinet, quod inter praesentes nec per procuratorem fieri possit, l. 25. §. 1. ff. de adopt.

XLIX.

Adoptio duplex est, in specie sic dicta, & arrogatio, *Adoptio in specie dicta, est actus legitimus, quo filiusfamilias, qui adhuc sub patris sui potestate est, adoptatur, ad quam sequentia requiruntur (1) ut filius adoptandus sit filiusfamilias & praesens, nec contradicat. (2) ut adoptio fiat coram Magistratu. l. 3. 4. ff. de adopt. l. 2. ff. de offic. procons. (3) ut hoc etiam fiat praesente patre, qui dat filium*

§. 1.

um

~~patres familias~~ patres familias
intus et mo-
rebus vivunt

um in adoptionem, & (4) eo etiam praesente, qui filium adoptat; & demum (5) actis intervenientibus, h. e. ut adoptio actis inseratur. §. 8. *Inst. quib. mod. jus patr. potest. sol. v. l. pen. & ult. C. de adopt.* *Arrogatio* vero est actus legitimus, quo paterfamilias sive is, qui suis juris est, in alterius familiam transit, ad quam uti ex tradita definitione constat. (1) requiritur, ut persona arroganda non sit sub patria potestate sed sui juris (2) debet fieri per rescriptum Principis, non verò sufficit auctoritas Magistratus, nisi Princeps Magistratui inferiori hanc potestatem concesserit *l. 6. C. de adopt.*: quia arrogatio res est majoris momenti, quam adoptio, dum per illam civitas quasi membrum aliquod amittit, pater enim familias & civis arrogatur, atque ex sua familia in alterius transit potestatem, & sic propriè civis non manet, sed fit filiusfamilias, cum patresfamilias tantum cives propriè existant.

L.

§. 2. Adoptio in specie sic dicta est duplex, plena & minus plena, arg. §. 8. in fin. *Inst. quib. mod. patr. pot. toll. prior est, quando filiusfamilias adoptatur à suis cognatis, linea ascendente* e. gr. Avo vel Proavo, Posterior est, quando filiifamilias ab ejusmodi personis adoptantur, quas nullo propinquitatis vinculo attingunt. Effectus adoptionis imperfectae hic unicus est, ut liberi adoptati ab intestato possint succedere parentibus adoptivis, una cum liberis legitimis ac Justis. *l. 10. §. 1. in fin. C. de adopt.* non vero per hanc minus plenam sive imperfectam adoptionem jura patris naturalis, uti Imperator loquitur, dissolvuntur, sed filius adoptivus manet in potestate patris sui naturalis. Perfectae adoptionis plures sunt effectus; & transit filius adoptivus in potestatem patris adoptantis, desinitque esse in potestate patris sui naturalis, cum hic concurrat & naturalis & civilis con-

lis conjunctio, unde (1) liberi succedunt suis parentibus adoptivis, & contra (2) Parentes adoptivi tenentur alere liberos, illosque educare ad virtutem, paucis, quodcunque est officium patris naturalis, idem etiam incumbit patri adoptivo *Jun. §. 8. Inst. quib. mod. jus patr. potest. sol. v. l. pen. & ult. C. de adopt.*

LI.

Quoad modum arrogationis ineundæ, disting. aut filius §. 3. arrogandus est pubes, aut est adhuc pupillus sive impubes, priori casu præter requisita jam enumerata, arrogatio fieri debet cum causæ cognitione, in qua (1) considerandus est pater arrogans, an is sit ejus ætatis, ut sobolem procreare possit, quod si ita est, non facile est concedenda arrogatio, quia aliàs procreatio sobolis impeditur, interest autem reipubl. ut procreentur liberi, *l. 15. §. 5. l. 17. §. 2. & 3. ff. de adopt.* Deinde, si persona arrogans jam tum habeat liberos naturales, itidem non facile concedenda est arrogatio. In filio arrogato videndum est, an sit dives, pater vero arrogans pauper, & cum hoc casu arrogatio plerumque cedit in detrimentum filii, rursus illa non est concedenda, imò etiam si puberes arrogantur, curatoris consensus est necessarius *l. 8. ff. de adopt.* præterea debent tutor & propinqui in arrogatione impuberum adhiberi, deinde pater arrogans personæ publicæ cavere, se hæreditatem pupilli arrogati restituere velle ejus hæredibus ab intestato, si pupillus arrogatus in ætate pupillari decedat. *l. 18. cum 2. seq. ff. de adopt. l. 2. C. eod.*

LII.

Effectus arrogationis sunt (1) quod paterfamilias arrogatus cedit cum liberis ac omnibus bonis suis, modo non sint jura personalia & arrogandorum personas egredi possint, in potestatem arrogatoris. *l. 15. ff. de adopt. l. 40. ff. eod. §. 11. h. §. 1. Inst. de requis. per arrog.* ita tamen, ut Jure novo pa-

H

tres

tres arrogantes solum in iis usumfructum consequantur; liberi vero arrogati proprietatem retineant: iniquum enim essent, si adoptivis parentibus plus quam naturalibus in liberorum bonis acquireretur §. 2. *Inst. de acquis. per arrog.* (2) mortuo filio arrogato, pater arrogans ipsi succedit *d. §. 2. Inst. de acquis. per arrog.* modo non adsint personæ cum antecedentes, uti liberi, si quos filius arrogatus habet, vel cum eo concurrant personæ arrogatæ fratres & sorores, per *d. §. 2. in fin Inst. de acquis. per arrog. jung. Novell. 118. c. 1. & 2.* vice versa (3) mortuo arrogatori succedit filius arrogatus *l. pen. & ult. C. de adopt.* quod si vero pater arrogans filium arrogatum sine justa causa exhæredet, aut emancipet, tenetur ipsi præter bona, quæ ad patrem adoptivum transtulit, quartam partem bonorum suorum relinquere. §. 2. *h. quæ vocatur quarta D. Pii arg. l. 8. §. 15. ff. de in officios. testam.* Dissolvitur autem arrogatio per emancipationem, non aliter, quam causâ cognita.

LIII.

§. 9.

De personis, quæ possunt adoptare, ita in universum argumentari possumus. Quæcunque personæ sunt aptæ ad generandum, & adoptandum superant plena pubertate, h. e. 18. annis, illæ possunt adoptare, contra quicunque non possunt generare, nec plena pubertate, h. est octodecim annis adoptandum præcedunt, illi etiam non possunt adoptare, uti sunt castrati, nec obstat §. 9. *hic l. 2. §. 1. & l. 40. §. 2. h.* ubi dicitur, quod Spadones non quidem generare, adoptare tamen possint, nam respondetur *ex l. 6. princip. ff. de liberis & posth. hered. & ex l. 6. §. fin. & l. 7. ff. de adilitio editio.* aut spadones propter morbum & corporis vitium, quod auxilio medicorum adhibito, speratur adhuc sanabile, generare nequeunt, aut quia ipsis pars corporis ad generandum necessaria deest: priores adoptare possunt, posteriores non

non irem, nec (2) minor adoptare majorem potest, quia adoptio naturam imitatur, jam contra naturæ ordinem videtur esse, ut minor tanquam imprudentior adoptare ac regere debeat majorem & prudentiorem: monstro enim simile, est ut major sit filius, quam pater, hinc etiam paulo ante dictum fuit, quod adoptans adoptato 18. annis major esse debeat. Licet autem & in locum nepotis ac pronepotis aliquem adoptare, hæc enim adoptio non est contra naturam, quod etiam extenditur ad filium alienum, quem in locum nepotis, & vice versa nepotem in locum filii quis adoptare potest. Pater quoque, qui jam tum filium habet, potest aliquem adoptare loco nepotis, non tamen tanquam ex filio natum, nam tum filii consensus simul requiritur, ne ei invito suus hæres agnoscatur. Quin etiam Pater adoptans potest liberos adoptivos & arrogatos alteri in adoptionem dare, nam uti in plurimis aliis causis, ita etiam hoc in casu liberi adoptivi & ex legitimo matrimonio nati, inter se invicem comparantur, Jure vero antiquo foemina adoptio erat interdicta, cum coram Magistratu sit peragenda, coram quo foeminas comparere, olim videbatur indecorum; accedebat, quod foeminae liberos non haberent in sua potestate, & per consequens adoptare non poterant. Hodie tamen in solatium liberorum amissorum illud videtur esse permissum, ita tamen, ut potestatem patriam, quæ in solos patres non foeminas cadit. §. 3. *Inst. de hered. qual. & differ.* in liberos adoptatos haud consequantur.

§. 5.

§. 6.

§. 7.

§. 8.

§. 10.

LIV.

Differunt arrogatio & adoptio (1) quod filii familias adoptentur, patres familias arrogantur. (2) adoptio fit coram quovis Magistratu competente, arrogatio vero non nisi per ipsum Principem, vel Principis rescriptum, quod hic sacrum oraculum appellatur. l. 2. ff. de adopt. l. 2. C. eod.

§. 11.

H 2

(3) ar-



§. 12.

(3) arrogati filii liberi sunt in patris arrogantis potestate, tanquam ejus nepotes, liberi vero filii adoptivi non sunt in potestate patris adoptivi. Demum non solum liberi homines, verum etiam servi, & ad eorum similitudinem hodierni Lassi à dominis adoptantur, eoque ipso libertatem accipiunt. Licet vero servus olim à domino filius nominatus liber const tueretur: tamen hoc ad jus filii accipiendum non sufficit, & sic vidimus modos societatis paternæ ineundæ qui sunt fundati in Jure Civili. Hodierni mores alium adhuc introduxerunt modum, qui dicitur *unio prolium* Germ. Die *Einfindschafft* / *Est nihil aliud, quam conjunctio liberorum, ex diversis matrimoniis procreatorum cum liberis futuris & adhuc procreandis, secundum mores & statuta singulorum locorum initia.* Ad illam verò constiuendam sequentia requiruntur (1) debent excuti bona tam mariti quam uxoris, & si forsan maritus sit dives, uxor vero & liberi ex priori matrimonio pauperes, unio non est permittenda, quia alias vergeret in detrimentum liberorum mariti (2) hac bonorum excussione facta, debet Magistratus cognoscere, utrum hoc sit è re liberorum uniendorum nec ne, (3) illa causæ cognitio debet fieri, si liberi uniendi sunt impuberes, in præsentia tutorum, si vero puberes existunt, in præsentia curatorum & cognatorum, & quidem coram Magistratu competente. (4) demum unio facta actis inserenda est. *Gailius l. 2. obs. 125. Fac. Ricc. de unione prol. c. 6. & 9. Meichs. tom. 4. decis. 6. fol. 55.*

LV.

Absolutis modis societatis paternæ ineundæ, videndum quomodo liberi è patria potestate dimittantur. Et Jure naturali dissolvitur societas paterna, quando liberi pervenerunt ad illam ætatem, ut semet ipsos regere, sibi que de necessariis vitæ alimentis prospicere possint. Finis enim patriæ potestatis hic est, ut liberi recto rationis usu destituti, tam

tam diu à suis parentibus educantur, donec sese ipsos regere, sibi que necessaria vitæ alimenta parare possint, quo fine sublato, tollitur ipsa patria potestas. Jure Civili (1) dissolvitur societas paterna morte naturali tam liberorum quam patrum. Quod si tamen avus moriatur & filium ac nepotem simul relinquat, tum nepos non aliter fit sui Juris, quam si tempore mortis avi pater ejus vel fuerit mortuus, vel emancipatus. Quod si verò ejus pater, cum avus moritur, adhuc in avi potestate existit, nepos in sui patris potestatem recidit. Nec solum mors naturalis, sed etiam (2) civilis tollit patriam potestatem. Moritur vero quis civiliter per deportationem, quæ nihil aliud est, quam, quando aliquis ob grave aliquod delictum jubetur urbe Roma exire & in certa insula, vel alio quodam loco ita vivere, ut ipsi inde egredi non liceat. *l. 8. princ. ff. de interd. & releg.* Huic deportationi hodie similis est bannum, quod est duplex vel universale totius Imperii, die Reichsacht vel particulare aliqujus status Imperii. *Webner. in vocab. Acht/Bann.* Bannum universale est, quando quis ex universo Imperio vel propter violationem fractæ pacis publicæ, aliudve crimen flagrans ejicitur vid. *Jacob. Blum. Process. Camer. tit. 29. §. 88.* ubi causæ, ob quas bannum Imperiale imponitur, recensitæ extant. Verum ob contumaciam hodie poena banni Imperialis non amplius locum habet *N. A. de anno 1654. §. 36. in verb.* Jedoch mit hinführtiger aufhebung der bißherigen gebräuchlichen zweyen Wegen / entweder auff die poen der Acht Nemo vero nisi solus Imperator vel Camera Imperialis hanc banni universalis poenam dictare potest, & effectus ejus est, ut tam bona, quam corpus banniti des Reichs Aechter impune offendi, nec quisquam ejusmodi bannitum hospitio excipere, aut in clientelam recipere possit. *Ord. Cameral. parte 2. tit. 9. §.* So jemand.

LVI.

Bannum particulare sive speciale est, quod delinquenti ab inferioribus Principibus & Statibus Imperii ob crimen commissum irrogatur, nec ultra eorum territoria extenditur. Ejusmodi verò Bannitus non statim licite potest interfici, sed si apprehenditur, tradendus est competenti Magistratui, & ab illo puniendus Brun- nem. in proc. inquisit. c. 8, num. 4. Quamvis verò relegatio non videatur ab similibus deportationi, tamen ea non solvitur patria potestas, quia caput civitati non adimit, atque adeo non est modus amittendi juris civitatis. l. 4. §. 14. ff. de interd. & relegat. Hinc sive pater s. filius relegetur, patria potestas nihilominus salva ac integra manet. Quivis tamen relegatus, dolose revertens contra juramentum, quo se non rediturum promisit, weil er die geschworne Uhrsphede gebrochen / prima vice abscissione digitorum, secunda fustigatione, ac tertia ob contumaciam insignem & perjurium tertio reite- ratum, gladii poena plectitur P. S. B. D. Carol. V. art. 108. Ter- tius tollendae patriae potestatis modus olim erat servitus poena, in quam incidebat quilibet ad poenam capitalem condemnatus, quae tamen ab imperatore Justiniano sublata est Novell. 22. c. 8. quemadmo- dum etiam damnatio ad bestias ob atrocitatem & ad metallum hodiè ab usu recessit, verum servis poenae hodiè ex parte adhuc similes sunt, qui ad perpetuum carcerem, vel ad opus publicum, vel in ergastulum, vel ad remos condemnantur, Carpz. praxi Crim. quest. 129. num. 41. 42. Dignitas patriciatus (4) itidem erat modus finiendi pa- triam potestatem, & ejusmodi officium, quo funguntur hodie Con- siliarii Imperatoris, Electorum, Principum, & reliquorum statuum Imperii; Cum enim Imperator & Principes his personis totam com- mittunt remp. gubernandam, non immerito tanta quoque praesu- muntur prudentia instructi, ut sese ipsos regere possint, adeoque patria potestate eximendi sint. Ex eadem ratione videtur dicen- dum esse, gradum doctoralem tollere patriam potestatem, sed ni- hilominus id negatur, quia hic modus nullibi in Jure Civili est fun- datus. Accedit quod militia armata neminem à patria potestate libe- ret §. 4. h. l. si maritus 7. C. de patria pot. Cum tamen milites armati majo- ra habeant privilegia, quam milites togati §. ult. Inst. de test. mil. & ab

una

Iti
loci putat abscissione
fustigatione & gra
ideo fustigatione
ta, h. l. et coru
fuit punitio

§. 4.

una militia ad alteram convenienter inferatur. *Everhard. à Mid-
delburg in loco à militia armat: milit.*

LVII.

Captivitas (5) olim erat modus tollendæ patriæ potestatis, modo pater in captivitate moreretur, quia fiebat servus hostium, & sic civiliter moriebatur, adeoque L. Cornelia fingebatur, quasi primo captivitatis momento naturaliter decessisset, & sic filius ex eo statim tempore sui juris fuisset factus. Quod si vero à captivitate liberaretur, omnia pristina jura pater recipiebat, & propter Jus postliminii nunquam in servitute fuisse fingebatur. Tandiu igitur Jus liberorum & patriæ potestas, donec vel de morte, vel de liberatione captivi patris constaret, pendeat, & in suspenso erat. Verum quia inter Christianos ejusmodi captivitates ferme exoleverunt, oleum & operam perderemus, si antiquo huic finiendæ patriæ potestatis modo diutius immoraremur. Istamen modus (6) hodiè non est abrogatus, qui dicitur *Emancipatio*. Fiebat quidem olim per tres imaginarias tum venditiones tum manumissiones, verum hisce ambagibus amputatis, Justinianus constituit, ut parentes solum competentem Magistratum audirent, & in illius præsentia liberos à sua manu dimitterent, imò hanc emancipandi potestatem Imperator hodie Comitibus Palatinis interdum concedere solet. *Johann. Philipp. ad h. tit. Inst. Ecclog. 76. num. 6.* Effectus ejusmodi Emancipationis olim erat, quod primo pater in liberos emancipatos eadem jura consequeretur, quæ patronus in libertum habebat, (2) quod si Impuberes emanciparentur, pater fieret eorum tutor §. 6. h. in fin. Avus porro potest filium emancipare, & nepotem in sua potestate retinere, vel viceversa nepotem emancipare, & filium retinere in potestate, vel utrumque tam filium quam nepotem emancipare.

LVIII.

Ultimus demum modus solvendæ patriæ potestatis est (7) *Adoptio* & quidem respectu patris, qui filium suum alteri dat adoptandum, nam ex illius potestate transit in potestatem patris adoptivi, non vero ratione patris adoptivi, cum ad eum respectu habito sit modus constituendæ patriæ potestatis. *tot. tit. Inst. ff. de C. de adopt.* Quod si vero avo ex nuru nepos nascitur, videndum est utrum

§. 5.

§. 6.

§. 7.

§. 8.

§. 9.

§. 10.

utrum nurus concepit nepotem, dum filius adhuc existeret in patria potestate, an vero ubi fuit emancipatus, priori casu nepos in avi, posteriori verò in sui patris potestate existit. Demum Jure civili neque naturales neque adoptivi liberi parentes cogere poterant ad eos potestate sua dimittendos, sed erat hoc in mero parentum arbitrio positum.

LIX.

Hodie iidem fermè modi ac olim dissolvendæ patriæ potestatis obtinent, nam (1) est mors tam parentum quam liberorum naturalis (2) mors civilis, uti est bannum Imperii, die Reichs Acht (3) dignitas Consiliariatus, (4) emancipatio (5) adoptio (6) quando liberi separatam familiam à suis parentibus habere incipiunt. Nuptiæ verò neq; Jure civili neq; hodierno solvunt potestatem patriam, nisi liberi nupti separatam familiam instituunt *Richt dec 8 num. 72. Bruck. consil. 1. num. 13. & consil. 34. num. 96. fol. 1. nisi quod Filia Jure Saxonico per nuptias è patria potestate exeant, & in mariti transeant potestatem, etiamsi illæ adhuc ædibus & mensa patris fruuntur. Landrecht l. 3. art. 45. verb. der Mann ist auch & lib. 1. art. 31. ibi sie sondern sich mit der Kost oder nicht Dn. Richter decis. 76. n. 37.* Quin etiam separationem bonorum vel in judicio, vel extrajudicialiter inter liberos majorenes factam, sive sint masculi sive foeminae, in Jure Saxonico effectum emancipationis sortiri, Doctores volunt, & vocantur ejusmodi liberi abgefonderte Kinder *vid. Dn. Hahn. ad tit. ff. de adopt. num 7. ad verba quanquam hoc receptum magis.* & sic etiam de societate Paterna pro nostro instituto satis dictum, eoque

Divino Numine auxiliante secundæ exercitationi finis
sit impositus.

F I N I S.



154770


AB 154770


ULB Halle 3
005 467 691



V. 17
R







Farbkarte #13

B.I.G.

NDA
 TUTIONUM
 TATIO
 E
A TIBUS
ONJUGALI
ERNA
A M
 ENTE GRATIA
 ESIDIO
 P LISSIMI. ATQVE
 IMMI VIRI
NGELBRECHTI
 bl. Ordin. ut & Facul-
 cctabilis Decani Præ-
 m devenerandi.
tioni submittet
 MAJORI
 UGUSTI
OLPHUS LUNING
 rbytanus.
) 90
STADII,
IS MULLERI Acad. Typ.
LXXIIX.

3

